

1. Drejeri / Chr. / Diff. de Conversione  
Judeorum, Regiomonti  
1691.
2. Eckstein / Gottlieb / Summi Dei  
Magnatissimum, ex Genes. III.  
v. 22. contra Judaeos, Wittenbergo  
1685.
3. Edzardi / Sebast. / Diff. ex Philo-  
logia Hebraica, Wittenbergo  
1695.

4. — Diff. utrum Nomen Elohim  
a profano Cananeorum Errore Origi-  
nem Ducat. Wittemberge, 1696.
5. Engelckenf. Hermann Christoph. / Diff.  
exhibens Psalmorum CXLV. CIII. CXLIX.  
aliorumq; a Corruptelis Vindicationem  
Rostochy, 1712.
6. — Diff. de Expulsione Principis  
Mundi, Joh. xii. v. 31. Rostochy, 1720
7. — Diff. Pentadem Dictorum  
Scripturae Vet. Testam. a manifesta  
perversione vindicatorum, Rostochy  
1720.
8. Erdmann (Joh. Henr.) / Diff. de  $\square$   $\square$   $\square$   
sive Sacrificio pinculari pro noxa  
offerendo, Wittemberge 1717.
9. — Diff. de  $\square$   $\square$   $\square$ . Wittemberge  
1717.
10. Fechtz (Joh.) / Diff. de Generatione  
messiae eterna psalmo II. v. 7.  
consignata, Rostochy, 1707.
11. — Expositio D. Jude Epistolae  
catholicae, in qua Certaminis Fides  
adversus Impietatem Ideo representatur.  
Rostochy 1715.

12. Fechtz / Joh. / Diff. de Ambitione  
 officij Ecclesiastici, Rostochy,  
 1715.
13. — Diff. de Christo in nobis,  
 Rostochy 1715.
14. — volumen volans. seu  
 Fliegende Briefe, ex Sachar:  
 C. v. vers. 1-4. Rostochy, 1708.
15. — Diff. de Christiani Corporis  
 sui Cura, Rostochy 1708.
16. — Diff. de Clave ligante et  
 Solvente, Rostochy, 1711.
17. — Diff. de Testamentis divinis,  
 Rostochy, 1705.
18. — Diff. de Veritate in Injusti-  
 tia detenta, Rostochy 1710.
19. Foerstz / Mich. / ~~Diff. ad verba~~  
 ad verba foederalia Luce 22.  
 vers. 37. 38. Jene, 1715.
20. — Diff. qua instituitur  
 oeconomia Evangelica Nov. Testame-  
 cum Henr. Hammond et Joh. Clerico  
 ad Rom. 8. vers. 17. Jene 1718.

21. Frischmuth J. Joh. I. Diff. de  
 Loco Dent: xviii v. 8 et seq. an  
 Ebori statuant: Idem simul posse  
 esse et non esse. Jene, 1658.
22. — Diff. qua ostenditur non  
 sacrificiorum Leiturgia, sed unica  
 illa missae, pro reatu se tradentis,  
 Hostia placari. ex psalmo xl. v. 7.  
 Jene 1672.
23. — Diff. de Seductione Serpen-  
 tis antiqui, Jene 1675.
24. — Diff. de Missa Dei Filio,  
 Jene, 1676.
25. — Diff. de Reverentia Filio Dei  
 missae prostanda, Jene, 1676.
26. — Diff. de Elie propheta nomi-  
 ne et proropia. Jene, 1683.
27. Frommen J. Valent. I. Diff. de Questione  
 an inter Lutheranos et Reformatos  
 Concordia Ecclesiastica Lanciri  
 possit? Brandenburgi 1666.

28. Gebhardi f. Brand. Hecur. f. Diff.  
de Joz et Magoz. Gryphiswal.  
Die 1714.
29. ——— Diff. de Beelgebub.  
Gryphiswaldie, 1719.
30. ——— Diff. de Vulpibus  
Simfencis, ex jud. xv. v. 4.  
Gryphiswaldie, 1718.
31. ——— Diff. de Orebim Clie  
Nutritoribus, Gryphiswaldie  
1719.

ch

20



ULB Sachsen-Anhalt  
Ausgegeben  
Datum: 2008





165 7

Q. D. B. V.  
VINDICIAS EXEGETICO - THEOLOGICAS  
VERBORUM CHRISTI,  
Matth. XVI. 19. Cap. XIIX. 18. Joh. XX. 23.

DE  
**CLAVE LIGANTE**  
ET  
**SOLVENTE,**

Hodiernis præcipuè Fanaticis oppositas,  
CONSENTIENTE VENERANDO THEOLOG. ORDINE,  
& PRÆSIDE

VIRO SUMME REVERENDO atque MAGNIFICO,  
**DN. JOH. FECHTIO,**  
S.S. TH. D. & P. P. SERENISSIMI DUCIS REGNANTIS  
MECKLENBURGICI CONSIL. CONSISTOR. DISTR. ROSTOCH,  
SUPERINTEND. & FACULT. SUÆ SENIORE,

Per singulas officiorum partes merentissimo gravissimoque,  
*DN. Patrono ac Præceptore suo, piâ animi  
submissione æternum colendo,*  
placidæ eruditorum disquisitioni submittit.

RESPONSURUS - AUTOR,  
**LAUR. DIETERIC. RICHERTZ,**  
ALTONA - HOLSATUS,  
Ad diem Aprilis, Ao. MDCCXI.  
IN AUDITORIO MAJORI.

20

---

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIGEROVI, Ampliss. Senat. Typogr.

Q. D. R. N.  
 VINDICIAS EXERCETICO - THEOLOGICAS  
 VERRORUM CHRISTI  
 Martii XVI. Cap. XIII. Joh. XX. 23.

DR.  
 CLAVE LIGANTE  
 et  
 SOLVENTE.

Consentiente Ven. P. NO. THEOLOG. ORDINE  
 & P. R. T. S. D. M.

DR. JOH. FECHTIO,  
 PR. S. D. M. P. T. S. D. M.  
 S. S. T. S. D. M. P. T. S. D. M.

DR. Petro de Præceptoribus sive  
 Preceptoribus sive Præceptoribus

L. A. R. DIETRICI RICHERT

IN A. M. P. O. N. I. A.  
 KOECHER



## F. N. F.



Ræfationis loco, quis hujus nostræ tra-  
stationis scopus sit, & quinam limites,  
cordato atqve benevolo Lectori expo-  
nere, consultum duximus. Scilicet tri-  
ga illa dictorum, ut vocant, classico-  
rum, Matth. XVI. 19. cap. XIIII. 18.  
Joh. XX. 23. de clave ligante & solvente agentium, o-  
culis nostris hac lege observabitur, ut, quicquid novi in  
ecclesia homines adversus eam magno conatu passim  
afferunt, per tres quidem, juxta dictorum numerum, se-  
ctiones ordine lustremus, & ex ipsis textus visceribus re-  
fellamus. Erunt nobis hac vice adversarii, non æque  
frequentes omnes, *Arnoldus, Dippelius, Merkerus,*  
*Carlius, Rosenbachius,* & qui nuper demum accessit,  
*Christ. Anton. Ræmelingius.* Quorum & *Anonymi* cujus-  
dam, infra citandi, in hoc argumento infana & diversa  
placita, sive ab ipsis recens inventa, sive, ut solet fieri,  
ab aliis mutuò petita, quantum ratio temporis & forma  
exercitii Academici permittit, instituto selectu examina-  
bimus. Reliqua, quæ vel historiam, vel partem Pole-  
micam specialiore, hujus materiæ attinent, viri graves,  
theologi hujus & aliarum Academiarum atqve ecclesia-  
rum celebratissimi, suppeditabunt: Quorum laboribus  
nova quædam, prout animo constitutum erat, addere,  
spatium præsentis chartæ & temporis prohibebat. Si  
qualiscunq; hic labor noster gloriam DEI & ecclesiæ com-  
modum suo modulo promovebit, nunc mihi sat  
erit. Adspiret DEUS conatibus!

## SECTIO PRIMA.

exhibens dictum Matth. XVI. 19.

Textus Græcus :

Καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν ἑρηνῶν· Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς  
 ὑπὲρ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς ἑρηνοῖς· Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς  
 ὑπὲρ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς ἑρηνοῖς.

Lutherus :

Und wil dir des Himmelreichs Schlüssel geben / alles / was du  
 auff Erden binden wirst / sol auch im Himmel gebunden  
 seyn / und alles was du auff Erden lösen wirst / sol auch  
 im Himmel loß seyn.

S. I.



Æc ipsa servatoris nostri, optimi mortali-  
 um magistri, ad Apostolum Petrum prolata  
 verba sunt: Eò sanè majori studio à nobis con-  
 sideranda, quod toti huic, de clave ligante &  
 solvente, argumento & nomen præbeant valde  
 congruum, & normam certissimam. De textu  
 Græci originalis, incorrupti semper & in-  
 tegri, veritate nullum facillè circà hæc verba oriatur dubium. Con-  
 sentiunt enim in lectione tam gravis oraculi, notabili quadam har-  
 monià, codices omnes: Unico tantum excepto, qui, ut Millius (a)  
 notat, singulis vicibus ante voces, ἐν τοῖς ἑρηνοῖς, particulam καὶ  
 insertam habet, sensu satis commodo. Exprellit eandem non Vul-  
 gatus modò, sed &, pro genio lingvæ vernaculæ, beatus noster Lu-  
 therus, fidus aliàs, more suo, & concinnè loquens interpret. A cu-  
 jus versione hac etiam in parte recedendi, eamque vel leviter refini-  
 gendi, an iustam habuerit causam novellus Targumista, Trillerus, ju-  
 dicent alii: Sic enim ille morosè satis Græca reddidit (b), Und ich  
 wil

(a) In N. T. Græco, per ipsum edito, ad h. l.

(b) in der (so genandten) mit dem Grund-Text genauer übereinstehenden  
 Uebersetzung des R. L. ad h. l.

wil dir geben die Schlüssel des Königreichs der Himmeln / und so du was auff der Erden wirst gebunden haben / das sol gebunden seyn in den Himmeln / und so du was wirst auff der Erden gelöset haben / das sol auch gelöset seyn in den Himmeln. Syrorum quoque versionem cum textu originali eleganter admodum convenire, docet inspectio: Unicam fortè literam vav, in ipsâ statim dicti fronte neglectam, jure desideres, quæ vim & locum particulæ, *ⲡⲉ*, à Spiritu S. non frustra præmissæ, appositè explevisset. Alias quidem Orientalium & Occidentalium versiones, ut breves simus, omittimus; cum de posteriorum ex illis consensu fidem faciat minimè denegandam, *ⲟⲩⲩⲉⲛⲉⲛⲁⲓⲟⲩⲓⲥ*, D. Bart. Botfacus (a)

§. II. De ipso autem oraculi pleniore, & omnibus numeris absoluto, sensu propius curatiusque dispiciamus, eundemque ex verbis Christi proxime antecedentibus, & cum hocce ipsius effato per Græcorum copulam, *ⲡⲉ*, immediate connexis, debite eruamus. Nimirum, præcedenti versic. 18. servator noster, ad Petrum conversus, sancte eidem promiserat, quod super se ipsum (b), pro vero Messia & Filio DEI viventis, nomine totius collegii Apostolici, ab ipso vers. 16. ingenue agnitum & declaratum, sit firmiter fundaturus, & ceu super petram illam spiritualem (c), sanctam, immotam, & inexpugnabilem (d), & fundamentum salutis unicum (e), perpetuo ædificaturus, suam ex Satanz potestate per omnes gentes evocandam ecclesiam; ita ut ipsæ inferorum portæ, robustissimæ licet & toti humano generi ob peccata tremendæ, omni potentia sua & potestate, eandem, aut minimam ejus particulam, quocumque modo retinendi, cogendi, ac opprimendi plane ac profusus excidant. Cum hac ergo tam gravi ac splendida, vers. 18. data, promissione, jam pergens vers. 19. optimus Servator verba dicti nostri de clavibus cœli, harumque usu & exercitio, immediate & arctissime conjungit: Ut dubium non sit, verba, in una contextus serie & cohærentia, posita & cum prioribus quoad tropi in eis continuati rationem apprime congruentia, esse etiam

A 3

iam

- (a) in *Dissert. de clavibus Petri*, p. 32. §. 14. (b) *August. Tom. 10. serm. 13. adde Artic. Smalcald. in append. p. 345. sine.*  
 (c) *1. Cor. 10. 4.* (d) *Jes. 28. 16. Rom. 9. 33.*  
 (e) *1. Cor. 3. 11. Ephes. 2. 20.*

iam memoratæ in præcedentibus promissionis quandam quasi continuationem, & uberiorem, à generalibus ad specialiora descendendo, declarationem, quo nempe modo ac medio eadem executioni tradenda sit. Sensus itaque hujus oraculi nostri pro vero nobis habendus non erit, nisi quem ipsæ voces clavium regni cœlorum, tum & ligandi ac solvendi notiones, ad præcedentia accurate semper referendæ, & pro natura ecclesiæ Christi, tum & portarum infernalium statu, explicandæ, admittent, imo postulabunt.

§. III. Erunt autem juxta hanc legem duo nobis momenta præ reliquis contra Fanaticos observanda. Primum erit, quidnam propriè ex mente Christi & Spiritus S. per claves regni cœlorum, ligantem & solventem, sit intelligendum: Alterum, cuinam claves illæ quoad usum suum & exercitium h. l. sint promissæ, adeoque deinceps propriæ. Puto enim, de aliis huc forte pertinentibus momentis, v. c. de clavium autore & datore, Christo, claves inferni ac mortis (a), nec non potestatem remittendi hominibus peccata, etiam quæ filius hominis est (b), habente à Fanaticis litem nobis haud fore movendam.

§. IV. Quod primum attinet; extra omnem dubitationis aleam positum est, notionem clavium tropicam hæc loco esse & figuratam, ex more loquendi, sacris pariter & profanis scriptoribus usitato, desumptam; quo illi voce ac symbolo clavium, alteri cuidam traditarum vel attributarum, dignitatem quandam ac potestatem, quacunque demum ratione & quocunque gradu eidem competentem, elegantèr notant. Rem satis claram aliquot saltem exemplis illustrabimus. Doctores Talmudici (c) & Chaldæa paraphrasis (d) ipsi DEO, creatori ac conditori rerum omnium, quatuor claves tribuunt, reservatas ei soli & proprias, ceu passim notant viri docti, Waltherus (e), Seldenus (f), & alii. Ex falsis quoque gentilium Diis Janus bifrons, Noachi, ut creditur, effigies, cum baculo in dextris & clave in sinistris depictus conspicitur (g): Clavemque, humero ferri solitam (erant enim anti-

(a) *Apoc. 1. 18.* (b) *Matth. 9. 6.* (c) *in Gemar. Babyl. ad eod. Sanhedrin, cap. 11. fol. 113.* (d) *ad locum Genes. 30. 22.*  
 (e) *in Offic. Bibl. p. 345. §. 712.* (f) *de Synedr. Hebr. p. 189.*  
 (g) *vid. Franc. Fern. de Cordoua in didasc. multipl. p. 183. 19.*

tiqvitus claves curvatæ, cum eburneo capulo, graves, ac bene longæ) insigne fuisse sacerdotii Cereris, aliarum quoque Dearum sacerdotibus adscriptum, refert Huetius (a). Addo his, quod in sacro codice, tum veteris Testamenti, apud Prophetam (b) Eliakimo, in locum Sobnæ divinitus designato thesauri regii præfecto (c); tum novi fœderis, apud Johannem (d), ipsi Christo claves domus David, diverso licet sensu, vindicentur. De antiquo Hebræorum ritu, doctores suos clavium traditione inaugurandi, nunc nihil dico; cum exempla in medium prolata satis demonstrant, quod symbolo clavium, per frequentem tropum, ipso Spiritus S. calamo approbatum, designetur potestas, tam summa illa & illimitata DEI, quam restricta ac dependens hominum, eaque, vel circa res sacras, vel negotia civilia, occupata.

§. V. Ex eo autem, quod in hoc dicto nostro de clavibus, quasi numero sint plures, sermo fit, aut denotatæ per illas potestatis singularem excellentiam recte colligimus, aut potius, quod ratio contextus videtur velle, diversum ejusdem potestatis usum & exercitium; quam usus & exercitii differentiam per clavem *ligantem* & *solventem* solemus exprimere. Ut non enim approbanda sit Pontificiorum superstitio, qui, hac, ut videri volunt, clavium pluralitate nixi, beatissimum Petrum, ejusque spurios successores, Romanos Episcopos, non cum gemina tantum clave ut plurimum pingunt, sed &, ut admodum in ejusmodi rebus liberales sunt, tertiam nonnunquam adjiciunt (e). Certum tamen est, illum loqvendi morem, quo pii ecclesiæ nostræ doctores claves in *ligantem* & *solventem* doctrinæ gratia, hactenus distinxerunt, ex sacro textu desumptum, ejusque & phrasi & sensui esse accommodum. Ut adeo inanem plane criticum, vel potius empæctam, more suo egisse, personatus ille Democritus, Dippellius, (f) recte censetur, cum, istam docendi methodum absurditatis coarguens, suoque gregali, Rosenbachio, qui duas præcisè claves discipulis à Christo datas asserit (g), egregie contrarius, inquit: **Wer hat den guten**

(a) in *Demonstr. Evang.* p. 487. sq. edit. Paris. (b) *Jes.* 22. 22.

(c) *Huet. l. c.* (d) *Apoc.* 3. 7. (e) *du Cange in Gloss. Latin. Tom. 1. p. 1012.* (f) *im Wegweiser zum verlohrenen Licht und Recht* 6. 2. p. 114. (g) *in der Wunder- und Gnaden vollen Befehung* p. 116.

guten Herrn dann gesagt / daß eben Zwey Schlüssel / der Bind- und Löse-Schlüssel / und nicht vielleicht ein ganzes Duzend lauter Löse-Schlüssel / nach der Zahl der zwölff Pforten &c. Quasi vero unquam aliquis doctor Lutheranus duas claves proprie dictas, aut geminam quoque essentialiter differentem potestatem, & non potius unius potestatis duplicem, ut loquitur Scherzerus (a), effectum voluerit intelligi.

§. VI. Constat de eo omnibus, cum propriam & spiritualem illius potestatis naturam & indolem jam porro perpendimus. Scilicet esse eam mere spirituales, & non nisi ad spiritualia se extendentem, recte quidem, præeunte Lysero (b), deduci debet ex addita statim descriptione, qua claves regni cælorum esse, non mundi aut regni terreni, perhibentur. Omne regnum Christi, cum quo regnum cælorum, à Messia Rege in ecclesiæ N. T. periodo per singularem quandam œconomiam inchoatum (c), & regno Diaboli oppositum, stylo scripturæ coincidit, non esse de mundo hoc, aut mundanum, in apico est, cum ipsa affirmet veritas, Christus (d). Pone jam, ut in textu asseritur, claves illas esse regni Christi, & gratiæ & gloriæ, (utrumque enim regnum ad ecclesiam à Christo fundandam, & à portis inferorum perpetuo vindicandam, pertinet, & voce latius sumpta, volente sic contextu, intelligendum venit,) eæquæ tibi alia subindicatæ clavium voce potestatis indoles & natura fuerit, quam mere spiritualis? Sive enim regnum Christi hoc loco consideres, ceu clavium instarum originem, à qua illæ quoad auctoritatem & efficaciam suam dependent; sive spectes, ut illarum terminum, cuius consequendi & contra injurias Satanæ firmiter muniendi, causa, in ecclesiæ commo- dum, datæ sunt: Patet tamen, quod sub utroque, juxta vim phra- seos hic conjungendo, respectu, non quædam politica, aut merè externa, sed supernaturalis & ad internam ecclesiæ constitutionem proxime pertinens potestas indigitetur: Alioquin ea nec regno Christi propria, nec ei administrando apta foret, quod utrumque tamen juxta dicta hic requiritur.

§. VII. Talis igitur modi cum sit potestas, per claves regni cælorum

(a) *System. Theol. Loc. 12. p. 307. §. 1.* (b) *Harm. Evang. Tom. 1. p. 235.* (c) *Dan. 7. 13. sq. Matth. 3. 2.* (d) *Job. 18. 36.*



cœlorum hoc loco expressa; actus quoque ejus, seu exercitium & executio, ejusdem rationis sint atque indolis necesse est. Neque enim ille demandata sibi potestate legitime usus, aut officio ritè functus, dicitur, qui viâ à munere suo planè diversâ insistit, & prorsus aliena tractat, scopum & rationem officii sui minimè attingentia. Quodsi ergò actus ligandi ac solvendi, ex clavibus, ceu proprium & formale consequens ex suo antecedente, deducti, & cum eis in textu nostro immediate connexi, præcul omni dubio ad rectum debitumque spiritualis illius potestatis usum atque exercitium omninò referri debeant; jam ultro liquet, quò sensu & loco iidem actus, in genere quidem, habendi, & pro tenore totius contextus veniant exponendi. Videas autem Fanaticos nostros circa vim vocum, ex antecedentibus perspicacissime colatis investigandam, non una via deflectere, & in assignando *ligandi ac solvendi* notionibus significatu, huc atque illuc, incertos admodum & animo dubios, oberrare. Sunt enim, & quidem potiores (a), qui in externâ quadam, & nonnisi ad forum humanum spectante, actione subsistendum putant, publico nempe censuræ ac disciplinæ ecclesiasticæ exercitio; vi cuius, toti christianorum ecclesiæ, absque ullo inter ministros & auditores discrimine, data sit potestas, fratrem impie ambulantem, aliosque vita sua offendentem, externò ecclesiæ coetu atque consortio ejiciendi, ejectumque, si ad frugem redierit, recipiendi; nullâ interim peccatorum ejus, erga DEum admissorum, per ecclesiam, ejusve Ministros, verè facta vel retentione vel remissione. Dantur verò & alii, pauciores tamen, qui Lightfooti, terminos *ligandi ac solvendi* ex scholâ Judaicâ explicantis (b), vineta cædunt (c): Dubiâ secum ac penduli, si forte magna illa & Apostolis propria autoritas hoc loco indigetetur, quâ illi de lege Mosis Ceremoniali, terminos suos cum morte Christi assecuta, ordinaturi erant & ductore Spiritu S. judicaturi, quâ parte, quòve loco & tempore eadem, in ecclesiæ com-

B modum

- (a) *Dippelius in dem verurtheilten Beicht-Vater! p. 46. sq. nec non Merkerus apud eundem in dem Wegweiser, in præfat. p. 8. aliique passim, nec sibi tamen, nec sociis, per omnia consentientes.*  
 (b) *in Horis Hebr. ad h. l. Tom. 2. Opp. p. 336. sqq.* (c) *Anonymus quidam in den neuen Fragen an Stat der Antwort auff das Buch Tir. Hr. Metropol. Cronen / &c. quest. 20.*

modum, vel abroganda paulatim & quasi solvenda, vel etiam toleranda & aliquali adhuc usu liganda sit. Geminum hunc errorem distinctè primùm considerabimus; dein ad verioris sententiæ ostensionem accingemur.

§. VIII. Et quidem circa priorem licebit esse brevioribus, cum omni ferè destituatur fundamento, & vel ultro cuivis pateat, quod emphasis phrasium *ligandi* & *solvendi*, in sua latitudine spectatarum, plura & longè altiora involvat, quamverum ejusmodi atque externum disciplinæ ecclesiasticæ exercitium. Probandum erat adversariis ex contextu, locis scripturæ parallelis, & aliis, si quas habebant, rationibus, hunc, non alium & excellentiorem, ligationis & solutionis esse significatum. De ipsis quidem vocibus, in se & absolute consideratis, dubium non est, quod phrasi Judaicâ, ætate Christi in vulgus notâ, merum quendam quâcunque demum communione ac societate ejiciendi, & in eandem recipiendi, cuilibet etiam privato competentem actum denotarint, cum fidem hujus rei faciat Seldenus (a). Sed hæc male adversarii ad hunc locum nostrum applicant, in quo actus ligandi & solvendi cum clavibus regni cœlorum immediatè conjunguntur, & præcise ex iis, non nudâ verò Judæorum phrasæologiâ & consuetudine, derivantur. Quodsi, ut antea ostendimus, per claves regni cœlorum potestas quædam, spirituali Christi regno propria, eiqve gubernando accommoda, designata fuit; quâ, quæsd, specie probabunt Novatores, quod ille actus, qui inter Judæos non tantum ecclesiasticus, sed & merè interdum civilis atque politicus erat, imò, teste iterum Seldeno (b), nec regno cœli, nec usu sacrorum, ligatum privando, aut solutum beando, aptus esse credebatur, ad potestatem regni cœlorum seu proprius & adæqvatus pertineat, ejusque jura & partes singulas perfecte impleat? Quidnam actus ille ad ecclesiam Christi intrinsecè constituendam, & super salutis petram, Christum, fundandam, & ab omni infernalis regni jure ac robore liberandam, egregii conferat aut conducat? Licet enim verissimus sit Pauli ex Poëta adductus (c) versiculus, quod *prava conversatio bonos corrumpat mores adeoque per improborum hominum ex cœtu ecclesiæ remotionem & pio-*

(a) *l. c. lib. 1. cap. 7. pag. 75. sqq.* (b) *l. c. pag. 188.*

(c) *1. Corinth. 15. 33.*

rum in eundem receptionem, salus ecclesiae quodammodo promoveatur, & Satanae potestas infringatur; haec tamen sola non omne punctum ferent, cum intrinseca ecclesiae natura alia suae foundationis & conservationis media postulet, & in regno Satanae vis longè major & exitiosior, quàm pravorum hominum consortium est, subigenda sit atque coercenda. Objicitur quidem à Fanaticis locus parallelus Matth. 18. 18. in quò apertè de disciplina & censura ecclesiastica sermo sit: Tum & praxis primitivae ecclesiae, vi cuius, juxta ordinem verborum Christi, nemo unquam fuerit solutus, b. e. in communionem externam receptus, qui non antea eadem exclusus & ligatus erat (a): Tum etiam Lutheri autoritas, qui phrasas *ligandi & solvendi* eadem prorsus ratione interpretatus sit. Sed facilis est responsio. Etsi enim verum sit, quod citatus Matthaei locus de disciplina ecclesiastica suo modo & ordine agat; falsissimum tamen est, quod nullum ibi, ut volunt Fanatici, quoad potestatis istius exercitium, inter ministros ecclesiae & reliqua ejus membra, habeatur discrimen; aut, quod nullus ibi includatur respectus ad veram & actualem, nomine DEI factam, remissionem atque retentionem peccatorum qualiumcunque. Quippe suo mox videbimus loco, quod verba ista remissionem & retentionem peccatorum per prius & immediate, actum verò excommunicationis ac receptionis per posterius & mediatè, involvant & innuant. Et quid ad locum parallelum alterum, Joh. 20. 23. respondebunt Fanatici, in quò expressa, & sola quidem, remissionis ac retentionis peccatorum fit mentio, ita quidem, ut eorum, qui ad sacrum ministerium divinitus vocantur, officio ceu pars quaedam specialis adjiciatur & vindicetur? Quae omnia in subsequutura peculiari locorum istorum exegesi uberius considerabimus. Praxis verò primitivae ecclesiae, ad quam secundo loco provocant Novatores, tantùm abest, ut ipsorum hypothese faverat, ut potius eidem planè sit contraria. Neque enim excommunicatio à quovis privato homine, aut promiscuam multitudinem, sed juxta ordinem divinum, & Apostoli exemplum (b), à Presbytero vel Episcopo, consentiente ecclesia, exercebatur. Neque, qui hac ratione excommunicati erant, externa tantum sacrorum participatione & fraternâ

B 2

(a) Merkerus l. c. ibidem Dippelius, cap. 2. pag. 114.

(b) 1. Cor. 5. 3. sqq. 2. Cor. 2. 10.

ternâ conversatione, sed &, ut notat Hülsemannus (a), internâ gratiæ spiritualis communionem unâ suspendebantur & privabantur: manifesto indicio, quod primitiva quoque ecclesia in ministris suis facultatem retinendi ac remittendi peccata certo agnoverit; cujus rei egregia passim apud Patres occurrunt testimonia, alibi à theologis copiose satis adducta. Pari successu beatum Lutherum nostrum in erroris sui subsidium trahunt. Is enim, si quis alius, à Fanaticorum doctrina alienus, quod per ligationem & solutionem peccatorum certissimam in Articulis Smalcaldicis (b), eò certius de genuina Lutheri mente testimonium perhibentibus, quod ab ipso Lutero consignati, & à reliquis illorum temporum Theologis unanimiter approbati, & ad exhibendam coram universali Concilio, si quod forte haberetur, fidei Lutheranz confessionem consulto destinati, fuerint (c). Nec contrarium probant loca illa, quæ ex Lutheri scriptis convasata, subdole citant autores pestilentissimi tractatus, cui titulus, *Lutherus ante Lutheranismum* (d). Quippe Lutherus, nunc hanc, nunc illam, clavem ligantis & solventis circumstantiam magis attendens, diversis etiam pro diverso scopo utitur phrasibus, & nunc quidem ligandi & solvendi actum per excommunicationem ac receptionem, nunc per Evangelii annuntiationem & applicationem, nunc per ipsissimam peccatorum remissionem & retentionem, exponit. Quæ diversæ locutiones, affines sibi invicem & subordinatæ, non extra contextum, pro cujusvis libidine, sed in contextu, pro dicentis scopo & intentione, & ex aliorum locorum collatione, omnino dijudicandæ & dextre interpretandæ sunt. Quod nisi concedent adversarii nostri, proprio se jugulabunt gladio. Ex illis ipsis enim locis, quæ tum Arnoldus & Carlius, procul dubio nominati tractatus autores (e), tum & strenue

- (a) *libr. de corrept. fraternâ*, p. 237. (b) *part. 3. artic. 7. & 8. p. 330. sq.* (c) *vid. præf. Lutheri, art. Smalc. præmissa p. 298.*  
 (d) *oder, die ubrälteste Evangelische Wahrheit, aus D. Mart. Lutheri Schriften und eignen Worten wiederholet, &c. pag. 95. sqq.*  
 (e) *vid. Auctores innocuarum Relat. de anno 1706. p. 632. & anno 1707. p. 539. item D. Botsac. l. c. pag. 48. §. 21.*

nue hos secutus, Römelingius (a), pro sua hypothefi ex Luthero adducunt, priora quidem de excommunicatione, posteriora, de Evangelii annuntiatione loquuntur. Aut ergo vacillantem juxta hæc & bilingvem Lutherum frustra pro fe afferunt hi homines, aut, quod ratio postulat, & ipsimet tacite concedunt, utraqve expositio pro diversis, quas Lutherus respexit, circumstantiis vera fit necesse est. Dicant ergo, cur non & tertiam, ab eodem Luthero, & sapius quidem, & nervosius, propositam sententiam velint admittere? cum eadem utrobique intercedat autoritas.

§. IX. Quæ cum in plano sint, ad alteram, quam ex Lightfootò haulerunt Fanatici, opinionem progredimur perpendendam. Arrisit ea, præter Fanaticos nostros, non tantum ex viris Politicis D. Christ. Thomasio (b); sed & à nostrate quodam Theologo, jam defuncto, (ut Heideggerum, Doctorem Reformatum (c), omittam,) ex parte adamata, & contra D. Sebast. Schmidium defensâ fuit (d). Nititur autem hæc tam probabilis, primo quidem intuitu, Lightfooti assertio mera quadam phraseologia, in scholis Judæorum jam inde ab ætate Christi recepta, qua Doctores aliquis, seu Magister, rem quampiam huic vel illi prohibens & illicitam designans, dicebatur אסור h. e. ligans, resque ab eo interdicta aut prohibita אסור, h. e. ligata, sicuti contra rem quampiam alteri permittens, habendo eam & declarando pro licita, מותר nuncupabatur, seu solvens, permissumque ab eo aut concessum מותר l. מותר, h. e. solutum. Colligit inde Lightfootus, Christum, ligandi & solvendi phrasibus in textu nostro utentem, aut cum vulgo Judæorum, quod ipsi probabile, locutum, & verbis hisce ac phrasibus in eo significato, quo vulgo nota erant, fuisse usum; aut, ad percipiendam mentem ejus peculiari opus fuisse commentario, qui, cum nullibi adsit, prius membrum stabiliat. Distincte respondebimus ad prolata; notantes primo in genere, novæ huic, & ab Apostolorum tempore per tot seculorum decursum in ec-

B 3

clesia

- (a) in seiner völliigen Heraufführung aus Babel, pag. 51. & 54.  
 (b) in seinem Bedencken über die Frage, wie weit ein Prediger ic. p. 167. (c) in laborib. exegeticis, Comment. in Matth. p. 190 sq.  
 (d) Disput. super verba Christi, Matth. 16. 19. habitâ Regiomonti, anno 1695. pag. 20. sq.

clesia Christi non cognita, interpretationi ansam dedisse, partim nimum illum, quo Lightfootus tenebatur, Judaicæ antiquitatis amorem ac studium, partim insignem quandam *παρερμηνείαν*, ab ipso in proxime antecedentibus admissam. Licet enim in confesso sit apud rerum peritos, antiqva Judaicæ gentis scripta & monumenta magno esse adjumento in multis Scripturæ S. oraculis dextre explicandis, ceu jam ante Lightfootum peculiari disputatione (a), ostenderat Hottingerus, & felicissimè sæpius in Horis Hebraicis exemplo suo comprobavit ipse Lightfootus: Et hoc tamen etiam negandum non est, modum excedi posse & limites; idque eò facilius ab eo, qui, ut de se ipso testatur Lightfootus (b), *pro re indubitatissimâ hoc sibi semper persuasum habuit, non posse non Novum Testamentum Judæorum stylium, idioma, loquendi formam, normamque, sapere ubique & retinere.* Cum tamen certum sit, multa etiam ex monumentis Græcicis depromi posse & debere, quæ textum sacrum non minus illustrent: Imo pro explorato habeant Theologi, in ejusmodi locis Scripturæ S. ubi sacra dogmata & sublimes fidei nostræ articuli proponuntur, non facile standum esse nuda Hebræorum phrasi, eaque ceu infallibili regula confidendum. Tantis igitur præjudiciis cum implicatus esset Lightfootus, mirandum non est, si ipsi humani aliquid hoc etiam loco acciderit, cum, ut diximus, in verbis proximè præcedentibus idem passus sit. Quis enim non videt, scopo verborum Christi Lightfootum aberrasse, dum, contra omnem contextus rationem & interpretum consensum, claves regni cælorum à potestate ligandi & solvendi divellit, hancque pro suo sensu omnibus quidem Apostolis, illas vero soli Petro tribuit (c), in genuinum perfectumque usum & exercitium ab ipso deductas, quando post ascensionem Christi Concione sua ostium fidei gentilibus primum aperuerit (d). Quæ admissa *παρερμηνεία*, à D. Mullero, Tubingensi, latius deducta (e), pronus admodum, & vel necessarius, erat lapsus

- (a) *habitâ 1656. de usu scriptorum Hebræicorum in N. T. quæ exstat in primitiis Heidelbergensibus, p. 65. sqq.*  
 (b) *in dedicat. Horis Hebraicis præmissa.* (c) *in Horis Hebr. ad h. l. Tom. 2. Opp. p. 336.* (d) *Act. 10. coll. cap. 15. 7.*  
 (e) *in Triade Diss. pag. 6. sqq.*

pfus in subsequētib. Ita enim porro notamus in specie, neglectā femel verborum cohærentia, multa supponi à Lightfooto & fundamenti loco subforni, quæ vel dubia, vel manifeste falsa sunt. Unde enim probabitur, quæ tacita est Lightfooti hypothesi, Christum Syriacè, vel Hebraicè, fuisse locutum? Cum valde sit verosimile, Græcè locutum esse Magistrum cum suis discipulis, plerisque Galilæis, & tunc quidem in Galilæa versantibus, ubi lingua Græcorum non infreqvens (a). Quo casu probandum foret, voces etiam Græcas, *θεῖν* & *λύειν*, scholæ Hebraicæ significatum ex usu, quem penes arbitrium & norma loquendi est, induisse. Cujus tamen contrarium apud Josephum (b), occurrit, qui illas in sensu forensi adhibet, Phariseos referens tempore Alexandræ, regnum Judaicum capeffentis, omnium negotiorum fuisse administratores, pellendo in exilium & revocando, solvendo item & ligando, *λύειν τε καὶ θεῖν*, quoscunque velent. Sed dabimus Lightfooto, receptā tunc inter Judæos Dialecto Christum esse usum: Iterum tamen supponit, quod à nemine adhuc concessum, aut cum vulgo servatorem locutum, aut, ut intelligeretur, peculiari opus fuisse commentario, qui nullibi exstet. Annon vero Christus, Doctor cœlestis, pro sua divinitate ejusmodi sæpius ad populum spargebat verba, quæ nec rude vulgus (c), nec doctus Phariseus (d), ob rerum sublimitatem apprehendebat? nec tamen semper peculiaris subjungebatur commentarius. Nonne ipse, pro imperscrutabili nobis œconomia, discipulis suis multa edifferebat per parabolas, raro ab iis intellectas (e), & ad ulteriorem investigationem propositas? Quidsi ergo & hîc sublime argumentum phrasi non adeo in vulgus nota Apostolis proposuisset, pleniore explicatione & commentario in aliud tempus reservato? Sicuti omnino etiam hæc ipsa verba, post suam ex mortuis resurrectionem, clarius exposuit (f). Sed dabimus porro, plane ad vulgi captum linguam suam accommodasse benignissimum servatorem; neque sic tamen habebit Lightfootus, quod desiderat. Ut ut enim voces illæ, *אטר* & *התיר*, ejusmodi signifi-

- (a) *D. Seb. Schmid. Colleg. Bibl. poster. p. 292. §. 11.* (b) *lib. 1. de bello Jud. cap. 4.* (c) *Marc. 4. 11. sqq.* (d) *Joh. 3. 4. sqq.*  
 (e) *Matth. 13. 36. Joh. 16. 18.* (f) *Joh. 20. 23.*

gnificatum apud Judæos ex usu Doctorum involverint, & teste Seldenno (a), hoc in sensu millies apud Talmudicos occurrant; exinde tamen non sequitur, idem apud vulgus quoque, & semper, & in omni sermone, obtinuisse; cum non statim omnes scholasticorum phrasæ ac termini in vulgus noti sint, vel saltem eodem semper sensu, quo inter Doctores, usurpati. Forte linguam & mentem scholarum & Rabinorum ignorabant Apostoli, homines ἀγενήματα καὶ ἰδιώται (b): Aut, si forte non prorsus ignari erant phrasæologiæ scholasticæ, ea tamen primævum ac proprium vocum Hebræarum significatum, in libris V. T. sæpius occurrentem (c), non ita obsoletum reddiderat, & vita communi perpetuo exulare iusserat, ut, auditis illis, non alium sensum necessario perciperent, quam istum Rabbinicum. Si, quod dubio caret, controversæ *ligandi* & *solvendi* notiones, absq; aliis circumstantiis considerata, in lingua quoque Hebræa ad significatum tum forensæ, quando aliquis vinculis constringitur aut liberatur, tum & scholasticum, quo hæc vel illa legalis concessio aut prohibitio innuitur, erat indifferens; ostendendum restabat Lightfooto invictis ex contextu argumentis, quod posterior hac vice locum præ priorè obtinere debeat; alias enim non satis firma erit conclusio. Sed fallitur hic noster ulterius, quando asserit, phrasæ illas in Judæorum scholis de rebus tantum, non de personis, enuntiarî solitas. Quippe contrarium jam pridem ostendit D. Sebast. Schmidius (d), aliquot ex Talmude allatis exemplis, ubi de personarum seu excommunicatione seu absolute eadem plane voces occurrunt. Cur ergo non in hoc potius significato, pariter in scholis Hebræorum recepto, & vulgo æque facile cognito, & peculiari commentario non indigo, textui nostro accommodandæ sint? Objicit quidem Lightfootus, in textu Græco Neutrum reperiri, particulam ὃ, quæ rem denotet, non personam. Sed facile regeritur, particulam Græcam, in genere Neutro positam, ambitu suo etiam personas complecti. Ipse Seldenus, Lightfooto alias faventior, id in genere verum esse, non diffitetur (e): Estque non

(a) l. c. pag. 689. (b) Act. 4. 13. (c) Psalm. 146. 7. Gen. 42. 16. Jes. 58. 6. (d) Disput. de clavibus Ecclesiæ, habitâ 1667. pag. 22. sq. §. 14. (e) l. c. pag. 204.



non apud Hebræos modò, sed & in codice sacro novi Fœderis (a), non aded insolitum, neutro genere sic uti, ut res & personas simul includat. Neque id dubium esse poterat aut suspectum ipsi Lightfooto, cum, quæ maxima ei semper, Talmudistarum autoritas accedat, qui, notante rursus D. Schmidio (b), ipsas voces, אסר & חריר, cum Neutro genere constructas, simul ad personas respectum habent. Plura in hanc rem non addimus, cum ex dictis facile constet, quid in universum de Lightfooti sententiâ statuendum sit: Et, si quid dubii adhuc supersit, adiri queat & uberius consuli D. Calovius (c).

§. X. Regredimur autem è diverticulo in viam, & de veteriore notionum *ligandi* & *solvendi* sensu sumus solliciti. Putamus, illum quàm commodissimè erui posse & debere ex usitatâ in sacris literis metaphora, vi cuius, quæ in foro & iudicio hominum quotidiano usu evenire solent, ad forum divinum & cœlestè, eleganter admodum transferuntur. Nihil quidem in politia aut republica frequentius, & tùm ad conservandam ejus tranquillitatem, tùm civium commodum promovendum, utilius est, quàm publica illa & ad civile forum pertinens justitiæ administratio, quâ homo aliquis, aere alieno obrutus & liberiori primum custodiæ datus, si quidem creditoribus suis, quacunque demum ratione, promptus aptusque fieri malitiosè renuat, latâ in ipsum iudicis sententiâ, arctioribus subindè vinculis per custodiæ œconomum constringitur, & deteriore, quàm antea, statu atque loco in posterum habetur: Si vero pignoris aut sponforis interventu fidem liberet, & vel ad ipsam debitorum solutionem idoneum se & paratum præbeat, dentis sine mora per eundem carceris œconomum compedibus, custodiâ soluitur, & liber futurus actu ipso declaratur. Pari ergò ratione, in spirituali regni Christi politia, illam, quæ coram DEO valet, justitiâ, in ecclesiæ securitatem & commodum, per ministros ejus administrandam fore & dispensandam; dubium non est, quin per *ligandi* ac *solvendi* terminos in dicto nostro indicetur. Ea quippe tropi hujus evolutio, potiorum

C

interpretum

(a) 1. Corinth. 1. 27. Apoc. 21. 27. (b) l. c. pag. 27. §. 16.

(c) *Systém. Theol.* Tom. 10. pag. 455. sqq.

interpretum, Flacii (a), Lyseri (b), Calixti (c), atque Calovii (d) calculo comprobata, non modo absolutam nativamque vocum *ligandi & solvendi* significationem & emphasin perfectè sistit, sed & priori de clavibus cœli metaphoræ jam continuatæ exactè respondet, notatamque per illas spiritualem potestatem tam egregiè illustrat, ut, quo modo portæ inferorum per eandem subjiciendæ & in perpetuum ecclesiæ salutem coercendæ sint, luculenter pateat: Imò verò, juxta hunc sensum, verborum Christi, priorum & posteriorum, una quasi & per unum tropum eleganter concatenata series appareat. Videamus singula paulò distinctius.

§. XI. Nimirum, portas inferorum locutione non minus tropicâ omnem inferni atque Diaboli vim & potentiam denotare, interpretes concedunt ferè omnes: Quodnam vero tropi hujus sit fundamentum, dissentiunt; dùm alii ad Judæorum judicia, in portis quondam haberi solita (e), digitum intendunt; alii verò, cum D. Sebast. Schmidio (f), infernum respici putant ceu locum quendam custodiæ aut captivitatis, portis murisque firmis munitum, ex quo captivis, auream libertatem anhelantibus, magno nisu per portas erumpendum sit. Nihil prohibet, quò minus utramque sententiam amplectamur, cum una alteri valdè cognata sit, & utraqve scopo nostro juxta stylum scripturæ conveniens. Ita enim nobis in sacro Codice infernus aliquot vicibus depingitur, ceu carcer aliquis, nomine *Φυλακῆς* notatus (g): In quo non tantum Diaboli & Angeli mali, statim post lapsum suum, *συναῖς ῥόφῃ* constricti, ad magnum universalis judicii diem asservantur (h), & impii homines, ad usque vitæ finem in impenitentia & incredulitate perseverantes, post fata sua quoad animam colliguntur (i); sed & totum genus humanum, in Adamo lapsum, & à DEO sub incredulitate conclusum (k), spiritualiter detinetur, dum singuli, in statu naturæ coram DEO repro-

- (a) in *Glossâ N. T. ad h. l.* (b) *l. c. p. 938.* (c) in *Concord. Euang. p. 226.* (d) in *Bibl. illustr. Tom. 3. p. 822.*  
 (e) *Deut. 25. 7. Amos. 5. 10. & 15.* (f) in *Colleg. Bibl. poster. pag. 294. sq. §. 17.* (g) *1. Petr. 3. 19. Matth. 5. 25.*  
 (h) *2. Petr. 2. 4. epist. Jud. vers. 6.* (i) *Luc. 16. 23.*  
 (k) *Rom. 11. 32. Gal. 3. 22.*

bata (a), laqueis peccatorum à Satana irretiti & vivi capti (b), sub potestatem ejus atque tyrannidem misere trahuntur ac coercentur. Ex his ergò infernalis custodiæ vinculis Christus ecclesiam suam, proprio sanguine redemptam (c), liberaturus, & operâ Diaboli, peccatum, vim legis, mortem, & æternum exitium, dissoluturus ac destructurus (d), morte sua portas infernales aperuit (e), & cum in iisdem ceu iudex *αὐτοκράτωρ* consedisset, & latâ sententia captivos omnes sub conditione fidei, in ipsum unicum Redemptorem ac vindicem collocandæ, absolvisset, libertatem erumpendi & regnum DEI adeundi omnibus concessit (f). Restabat verò, ut imbecillitati captivorum, ob vinculorum gravitatem plane enervatorum, & ad spiritualia per naturam impotentium, succurreretur; tum & futuræ securitati consuleretur, ne, qui adhuc ob neglectam fidei conditionem in priori custodia detenti, se jam actu liberatos, & contra, qui jamdum per fidem liberati, se adhuc captivos esse, utriusque falsò crederent, atque ita in portis inferorum, Christo tamen & ecclesiæ non prævalituris, amplius detinerentur. Hunc igitur in finem benignissimo servatori, ecclesiæ domino, suscepit instituere suum & ecclesiæ ministerium, eiqve hoc loco promittere, & postea conferre, claves regni cœlorum, hoc est, ejusmodi potestatem, quâ ministri ejus non tantum in genere lætam Evangelii doctrinam, de factâ per ipsum redemptione, hominibus annuntiarent, sed & in specie poenitentibus, inque Christum, filium DEI firmissimam salutis petram, verâ fide recumbentibus, peccata ipsorum ceu vincula solverent, penitusque remitterent, & auferrent, quò illi libero dehinc cursu ad spirituales Christi domum, ecclesiam, pergere, & in eâ stantes & erecti ambulare queant; sicut & impœnitentibus, & causam redemptionis suæ malevolè respicientibus, graves, quibus tenentur, peccatorum catenas arctius ligent & confringant, retentisque ipsorum peccatis aditum in regnum DEI efficaciter præcludant.

§. XII. Scilicet, ut claves regni cœlorum, latius sumtæ, omnem sacri officii potestatem & partes singulas in genere designant;

C 2

quò

(a) *Ephes. 2. 3.* (b) *2. Timoth. 2. 26.* (c) *Actor. 20. 28.*

(d) *1. Joh. 3. v. 8.* (e) *Apocal. 1. v. 18.* (f) *Jes. 42. v. 7.*  
*cap. 49. 9. cap. 61. 1.*

quò sensu in Augustanâ Confessione (a) dicitur, *quod potestas clavium, seu potestas Episcoporum, juxta Evangelium sit potestas seu mandatum DEI, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta*: Sic; quando illæ ad actum ligationis & solutionis in specie referuntur ac restringuntur, certam quendam & determinatam ministerii partem per easdem indicari, haud frustra colligitur. Videant jam adversarii, an alia quædam functionis ecclesiasticæ pars memoratos *ligandi & solvendi* actus tam perfectè impleat, quàm vera illa, & justu ac virtute Christi in ecclesiæ salutem administranda, peccatorum remissio aut retentio? quæ, juxta ante dictam & stylo scripturæ comprobata metaphoram, infernum ut locum carceris & judicii, homines tanquam reos & captivos, istorumque debita & delicta ceu catenas, *solvendas* aut *ligandas*, respicit. Eos, qui nudam Evangelii prædicationem hic intellectam volunt, à proprietate & emphasi vocum *ligandi & solvendi* nimium quantum recedere; nemo, arbitrator, nisi sensus expers, negaverit. Quodsi quis per claves propriè tales, quæ ad captivorum vincula liganda & solvenda aptæ natæ sunt, non nuda quædam earundem ostensione aut significatione, sed verâ & reali applicatione, & actuali in serarum foramina immisione, desideratum effectum valet assequi (b); quomodo, quæso, qui spirituali illa, per claves ligantem & solventem denotata, potestate instructus est, sine suo potietur, nisi & ipsemet, verum quendam & realem spiritualis solutionis & ligationis actum rite pro officio exerceat? Id quod nudo Evangelii præconio, nisi quid amplius accedat, nunquam dabitur effectum. Sed forte ratio tropi hanc explicationem non patitur, cum valde inconveniens videri queat, clavium officium, quod in aperiendo & claudendo proprie consistere omnes norunt, contra rei naturam & omnem usum, per nescio quem ligandi & solvendi actum explere velle, aut exponere. Movet hanc objectionem, non levem, uti putat, acutus sibi Dippelius, inquiring (c): *Es ist ohne dem absurd, zum Binden oder Zuschliessen (volebat dicere: lösen) einen Schlüssel haben welches*

(a) *Artic. 7. abus. p. 37. sq.* (b) *vid. Pruknerus in Vindic. N. T. ad h. l. pag. 168. col. 2. num. 12. D. Joh. Meisnerus in Dissert. de potest. Eccles. S. 71.* (c) *in dem Wegweiser, p. 114. cap. 2.*

welches diejenigen / so zuerst dieses Wort / Bind-Schlüssel / als ein höhern Fall-Eisen zusammen gesetzt / billig hätten bedenkten sollen. At nullam omnino absurditatem hic animadvertunt viri Dip- pelio & asseclis multum sagaciores, Calixtus (a), Carpovius (b) & alii per bene multi, qui pridem observarunt, desumptam hic esse metaphoram à clavibus, non tam qva claudunt & aperiunt, qvam potius, qva ligant & solvunt; dum, teste quotidiano in foro usu, eatenaz appositis feris ope clavium impactæ super captivos ligari atqve constringi, vel etiam earundem ope ab ipsis removeri, iterumqve solvi, solent. Quo quid magis ad confirmandam nostram interpretationem afferri queat, non video. Neqve enim obstat nobis ulla ratione illorum sententia interpretum, qui cum B. Gerardo (c), clavium metaphoram ex usu domestico deductam volunt, quo constituti à patre familias œconomi conclavia domus, pro rei familiaris usu, nunc claudunt, nunc aperiunt, thesaurosque fidei suæ commisso- sos promunt conduntqve, atqve ita negotia domus singula ad nutum heri sui dispensant. Elegans hæc, & ad declarandam sacri ministerii functionem & dignitatem apprime faciens, explanatio est: Qvam æ- qve lubentes atqve aliam amplectimur, & verissimam esse concedimus, quamdiu claves regni cœlorum absolute & in genere considerantur. Qvam primum vero adduntur *ligandi & solvendi* voces, perqve eas, à generali ad conceptum specialiorem deveniendum fore, innuitur; jam nostræ quoque expositioni, non exclusâ penitus, sed conjuncta, priore, suum reliquendum esse locum, ratio phraseos, aliæque textus circumstantiæ, manifesto postulant. Ut adeo, qui omnem domus DEI curam gerunt, ecclesiæ ministri, nunc ejus etiam captivos sollicitè observare, & iusta iis, per necessariam cibi & potus subtractionem, aut subministracionem, facere, habeant opus: Qvin & iisdem, aut vincula peccatorum efficaciter auferendo, fores ecclesiæ & cœli simul aperiant, divitesque gratiæ divinæ thesauros largiter dispensent; aut, si e re sit, eadem ipsis retinendo & ulterius ligando, cœlestem quoque januam & salutarem omnium ecclesiæ bonorum fructio- nem eodem actu præcludant. Non secus ut quondam fidelis in Agy- ptiac

C 3

- (a) loco ante cit. (b) in *Disput. Isag.* p. 1424.  
 (c) *Harmon. Evang. Tom. 2. pag. 2181.*

ptiaco carcere œconomus, Josephus, omnia & quæcunque custodiæ negotia, ad captivorum seu vitam & victum seu vincula pertinentia, unus idemque feliciter administrabat (a), heroque suo operam collocabat.

§. XIII. Sed habent tamen, vel potius habere se credunt, Fanatici, quod magna veritatis specie, ex analogia fidei & ipsa rei natura desumptum, contra hanc nostram interpretationem urgeant. Dicunt enim, extra dubium versari, quod peccata remittere ac retinere sit opus DEO proprium, & omnes hominum vires longe superans. Quod si quis ergo, quod solius DEI sit, peccaminosis hominibus tribuere, eosque, ut loco DEI rem agere queant, quosdam quasi Vice-DEos, aut, instar Papæ, vicarios Christi, velit constituere, adeoque quæ DEI sint rapere; eum utique in divinam majestatem fore injurium. Placent sibi admodum in hac objectione Fanatici, formantque eam, diversa licet via & methodo, propemodum omnes (b): Facile tamen levitatis suæ convincendi, & vel ex ipso dicti nostri contextu refutandi. Agnoscant quippe nobiscum, ut par est, adversarii, ut in toto salutis negotio, ita & in hoc divino & spirituali opere, virtutem principaliter, seu in cœlis, agentis DEI ab actione hominum, ministerialiter & in terris per ejus gratiam cooperantium, quoad suam naturam esse distinctam, licet eadem quoad usum & effectum semper sint conjunctissimæ. Dixerat Christus in præcedentibus, se, non obstante infernalis regni furore & tumultu, ædificaturum esse & fundaturum suam ecclesiam; quod opus divinæ virtutis & majestatis esse, nemo negaverit. Neque tamen Paulus, Christi minister & homo *καλάπωρος*, veretur se ipsum sapientis architecti nomine insignire (c) qui fundamentum ecclesiæ Corinthiæ posuerit, cui alii deinceps superstructuri sint. Quid? quod idem Apostolus, qui alibi docebat, quod DEus omnia, quæ fidei sint, operetur (d); se tamen suis Corinthiis ut DEI *συνεργόν* commendare audeat (e): Et, cum in sacrilegos Judæos (f), & Antichristum, loco

- (a) *Gen. 39. 22. sq.* (b) *Rosenb. in der Wunder- und Gnaden- vollen Führung! p. 71. sq. Merkerus apud Dippel. l. c. præf. pag. 3. Römeling. l. c. p. 48. aliique.* (c) *1. Corinth. 3. 10.*  
 (d) *Phil. 2. 13.* (e) *1. Cor. 3. 9.* (f) *Rom. 2. 22.*

loco DEI in ecclesiâ se gerentem (a), divino quodam Zelo inventus esset, se DEI atque Christi legatum esse nihilominus deprædicat (b). Quæ si suo modo & ordine vera esse, & sine ullâ divinæ majestatis imminutione, de reliquis etiam spiritu DEI armatis ministris valere, necessariò concedent Fanatici; dicant, cur magis divinæ gloriæ obesse censendum sit, si eam quoque ex mente Christi ministris hominibus tribuas facultatem, quâ illi fratribus suis, cum eodem Paulo, (c) quoscunque lapsus suos *εν πανσώπω χριστῷ* efficaciter condonare queant? Manet hic & ubique suus Christo honos, qui ejusmodi potestatem non tantum pro mero suo beneplacito promissit atque dedit, sed & eandem cum Patre & Spiritu S. divina sua virtute dirigit, & ecclesiæ suæ omnipræsens (d), per os & manum ministrorum semper & ubique exercet: Id quod nervosè effatur Lutherus noster, inquit (e): *Da (in der Beicht) spricht Gott selbst die Absolution / wie er das Kind selbst tauft.* Ipse quidem servator optimus non obscure in hoc nostro oraculo illud indicat, cum, quicquid homines in terra juxta ejus præscriptum solverint aut ligaverint, illud ligatum aut solutum fore in cœlis, expressè dicit. Quodsi enim per cœlos non tam locus aut certum spatium, quàm, ulistat scripturæ stylo (f), summa potius & independens DEI majestas, autoritas, atque virtus meritò intelligitur; cum, quâ ratione peccata hominum in cœlo, loco circumscripto, ligari aut solvi queant, non appareat: Notabit certè nobis è contrario terra, cœlis directè opposita, non nudum locum, quàm statum potius & conditionem illorum, qui illud *ligandi & solvendi* opus in terra peragunt. Quò sensu *τὸ in terra* non incommode cum Grotio (g) *per homines mortalem vitam viventes* reddi posset. Sicuti igitur juxta hæc meri homines divinæ potestatis executores sunt, qui, quantum in ipsis est, nonnisi ministeriale officium exhibent; sic contra DEus triunus est, qui infinitâ virtute sua totum negotium perficit, non actu quodam à ministrorum opera distincto, & vel quoad levissimum temporis anterioris seu posterioris

(a) 2. Thess. 2. 4. sqq. (b) 2. Cor. 5. 20. (c) 2. Cor. 2. 10.

(d) Matth. 28. 20. (e) Tom. 8. Altenb. p. 885, col. a.

(f) Dan. 4. 23. Matth. 21. 25. Joh. 3. 27.

(g) apud D. Calovium in *Bibl. illustr.* Tom. 3. p. 328.

posterioris momentum separato, sed uno planè eodemque; dùm, quæcunque ligata aut soluta ipse cupit, per hos suos ministros efficacissimè operans, ipse etiam præsentissimus ligat & solvit: Uti quidem hunc DEI cum ministris concursum, & mediatum illorum ope effectum, ex debito verbi, *Erit*, in Futuro positi, significatu latius deducit D. Seb. Schmidius (a), lectori pro lubitu consulendus.

§. XIV. Egimus hactenus, pro scopo nostro, de propriâ & adæqvata clavium, ligantis & solventis, natura & indole, tanquàm primo dicti nostri momento. Restat, ut jam ad alterum deferamur, & de ordinariis clavium istarum ministris, seu executoribus, paulò propius, quod sat erit, dispiciamus. Equidem non possunt non Fanatici nostri, vi suarum hypothesum, in hoc quoque momento, varia, & tum à se ipsis, tum à nobis, discrepantia, sentire; quæ singula hic repetere & sub examen vocare non sit opus. Communior tantum illorum, & quæ maxime hodie in controversiam venit, sententia paucis pro sensu dicti nostri excutienda erit: Utrum nempe *ligandi & solventi* potestas quoad ordinarium sui usum atque exercitium singulis & quibuscunque ecclesiæ membris in specie competat, an verò solis in publico officio ritè versantibus DEI ministris? Affirmat prius expressis verbis notatus supra Römelingius (b), & inter alia in hanc rem adducta scripturæ loca, hoc ipsum quoque nostrum oraculum tangit, ex eoque colligit (c), Aut toti ecclesiæ claves regni cœlorum à Christo fuisse datas, aut, quod contra Pontificios nostrates negent, soli Petro. Quid hoc sibi dilemma velit, & pro statumanda viri & sociorum sententia faciat, ego non video. Aut enim statum controversiæ mutat turbatus mente Römelingius, atque ita neminem nostrum insigniter ferit; aut fallit quoque ipsius illatio, in debita membrorum enumeratione manifesto deficiens. Quippe duplici sensu, claves toti ecclesiæ datas esse, intelligi potest, & vel ad originariam & immediatam earundem possessionem, seu commune jus & commodum, vel etiam ad mediatam atque ordinatam usurpationem atque executionem, referri. Si in priori significatu locutionem Römelingius adhibuit; nihil affert, quod

(a) *cit. Disput. p. 29. §. 18.*

(c) *ibid. pag. 50.*

(b) in der völligen Herausführung/ p. 49.



quod nobis ulla ratione adversum, aut ipsi proficuum fuerit: Cum, quod claves principaliter & immediate ecclesiae à Christo tributae sint, tanta veritatis luce in Articulis Smalcaldicis (a), contra Pontificios asseramus, ut ipsissima theologorum nostrorum verba doctissimus Gallus, Launojus, ipse licet Pontificius, cum reliquis doctoribus Parisiensibus contra Bellarminum approbet (b), & longa testimoniorum serie, ex Patrum scriptis operose collectorum, stabiliat (c). Sin sensu, ut videtur, posteriori ambiguum propositionem adversarius intellectam voluit; Ita ejus, ut rite concluderet, formandum erat argumentum, Aut soli Petro, aut reliquis etiam Apostolis, eorumque cooperariis & successoribus, aut toti denique ecclesiae & singulis ejus membris, claves, quoad externum & ordinarium exercitium, datae sunt; adeoque probanda erat viro per sufficientes ex contextu rationes secundi membri, quam ipse supponit, falsitas. Nos autem veritatem ejus contra Römelingium evictam dabimus, non aliis hac vice, quam quae praesens nostrum oraculum suppeditat, argumentis. Quippe, quod ex antecedenti tractatione ceu evidenter certum hic saltem repetimus, claves regni caelorum in genere designant omnem sacri officii potestatem, ab optimo servatore in ecclesiae suae robur & commodum institutam. Haec potestas, licet radicaliter, ut ita loquar, penes totam ecclesiam resideat, cum Christus omnia & quaecumque bona, per mortem crucis acquisita, atque adeo ordinem quoque & efficaciam sancti ministerii, dilectissimae suae ecclesiae ex mera gratia elargitus sit (d); patet tamen, quod idem Servator pro infinita sua sapientia certas quasdam è promiscuo ecclesiae coetu personas ordinaverit, quae ipsius & ecclesiae nomine claves regni caelorum, ceu fidi & peculiares in domo DEI oeconomi, gestarent, & spirituales earum potestatem quoad singulas partes publice administrarent: Eum in finem, ut, nervose admodum loquente Paulo (e), *καταρτισμος τῶν ἀγίων*, obtineretur, h. e. luxata ecclesiae membra, ob furentem per delictorum catenas Satanam talia, in locum suum subinde reponerentur, & corpus Christi mysticum perpetuo aedificaretur. Erant igitur inter ejus-

D

modi

- (a) in append. p. 345. (b) in collect. epistol. edit. Cantabrigiensis in Fol. ann. 1689. p. 149. (c) *ibid.* p. 135, usque ad 157.  
 (d) *Ephes.* 4. 8. sqq. (e) *l. c.* vers. 12.

modi Christi servos, primi quidem & principes, Apostoli (a), quibus hoc loco in persona Petri, totum Apostolorum collegium in confessione sua representantis (b), claves cœli promittebantur; non *privative*, ut loqui solent Doctores, exclusis aliis conservis, aut successoribus; Sed, quod tenor verborum Christi antecedentium, & ecclesiæ natura, & analogia fidei, omnino postulant, *cumulative*; ita ut, præter duodecim Christi discipulos, Paulus quoque & Appollo, & Timotheus, & Sosthenes, & alii plures, mediate vel immediate vocati ministri, tales clavibus armati futuri essent oeconomici (c). Pone jam, quod universa clavium, seu sacri officii, potestas certis quibusdam in ecclesiæ personis, vocatis DEI ministris & Pastoribus, ex ordinatione divina peculiariter competat; e quibus aliis specialem illam, & ad claves pertinentem, eque natura ipsarum provenientem, remittendi ac retinendi hominum peccata potestatem jure tribuas, quam iisdem in publica ecclesiæ functione constitutis personis? Dicunt quidam Fanatici, se hanc potestatem, eò, quo ipsi explicant, sensu sumtam, ministris ecclesiæ non penitus denegatam, sed saltem aliis quoque Christi fidelibus vindicatam velle (d). Sed frustra hæc in medium proferri, res ipsa indicat. Uti enim, in statu ecclesiæ ordinario (cum de casu necessitatis, ubi Laicus etiam absolvit, & fit Pastor & Minister alterius (e), aliter pronuncianum esse, nemo negat,) tota clavium potestas certo hominum ordini divinitus alligata & adstricta est; sic &, in eodem statu, pars potestatis æqualiter se habere omnino intelligitur. Id si negent adversarii, peculiare adferre debent privilegium, quo singulis ecclesiæ membris de promiscue exercenda illa sacri officii parte cautum sit: Cujus quidem cum in hoc dicto nostro nec vola appareat, nec vestigium, ipsis non obscure silentio suo fatentibus; ad alterum Evangelistæ locum, tractationi nostræ subjiciendum, confugere ut plurimum solent. In quo tamen quam parum præsidii habeant, jam patebit, ubi ad propiorem ejus considerationem non impediti progredimur.

### SECTIO

(a) 1. Cor. 12. 28. Eph. 4. 11. (b) *Articc. Smalc. in append. p. 344. Lyserus l. c. p. 936. aliig. passim.* (c) 1. Cor. 4. 1 & 6. coll. cap. 1. 1. & 2. Cor. 1. 1. (d) *Ræmeling. l. c. p. 52.* (e) *Articc. Smalc. l. c. p. 353. Lutherus Tom. 8. Altenb. p. 884. col. 2.*

## SECTIO SECUNDA,

exhibens dictum Matth. XIX. vers. 18.

Textus Græcus :

Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ  
 οὐρανῷ. Καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα  
 ἐν τῷ οὐρανῷ.

Versio Lutheri :

Wahrlich / ich sage euch : Was ihr auff Erden binden werdet / sol  
 auch im Himmel gebunden seyn / und was ihr auff Erden  
 lösen werdet / sol auch im Himmel loß seyn.

S. I.



**D**E fontium puritate nullum, quod sciam, Fanatici movent dubium : Neque ulla inter Codices notabilis occurrit lectionum varietas, quæ sensum dicti immutet, aut suspectum reddat. Græca feliciter admodum Syrus interpres reddidit, tum &, quem iterum absque causa deseruit Trillerus, beatus noster Lutherus. Neque enim, ut fortè morosioribus videri poterat, alicujus momenti est, quod, quæ juxta fontes in numero plurali, ὅσα, δεδεμένα, λελυμένα, prolata sunt, uterque horum pro genio quidem lingvæ suæ in numero singulari expresserit; cum eodem manente sensu, non modò versiones Persicam & Arabicam, sed & Græcam Chrysostomi lectionem, sibi habeant consentientes (a).

S. II. Quibus verbis & syllabis præsens oraculum à præcedenti parallelo differat, in quibus item cum eodem conveniat, haud opus puto, ut pluribus indicetur. Si ea textuum discrepantia, quæ solvendi & ligandi potestas illic quidem in cælis, hic in cælo, valitura dicitur, tanti ponderis esset, ut, quod censere videtur Origenes (b), majorem potestatis præstantiam & efficaciam Petro adscriberet,

D 2

quàm

(a) teste Millio, supra cit. ad h. l. (b) Comment. in Matth. p. 336. edit. Colon. per Huetium adornatæ, 1685.

qvàm aliis Christi fidelibus; eam fortè contra Fanaticos, æqvalem hoc loco potestatem omnibus ecclesiæ membris, sive ministris sive quibusvis aliis, à Christo tributam esse asseverantes, non irritò conatu urgeremus. Sed cum aliter omninò nos doceat stylus scripturæ Novi Fœderis, qui voces, *cælum & calos*, absqve ullo debiti sensus augmento vel detrimento, promiscuè passim usurpat (a); magnum ecclesiæ Patrem hac vice deserimus, notamusqve, Syrum utrobique Pluralem suum adhibere, & quendam quoque Codicem Græcum semel in hoc loco eandem lectionem, *ἐν τοῖς ἑξαπόλοις*, sistere (b). Magis observatu dignum est, quod optimus Servator omnibus suis Apostolis hoc loco promittat, quæ in priore oraculo specialiter ad Petrum fuerat locutus: Hocque suum promissum, grave procul dubio & valdè momentosum, nervosissimâ & juramenti vim habente particulâ, *Amen* (c), in ipso verborum limine præmuniat atqve stabiliat.

§. III. Quo autem præcisè sensu verba intelligenda sint, quòvè modo & ordine ad Apostolos referenda, quò item ad alios ecclesiæ ministros, imò omnes Christi fideles; ardua sanè quæstio est, suis non destituta difficultatibus. Equidem ad solos Apostolos hoc Christi effatum pertinere, & cum iisdem quoad valorem desuisse, nemo facile sive cum Wolzogenio (d), homine Sociniano, sive cum Lightfooto (e) dixerit; cum ultrò pateat, talia in his & præcedentibus verbis proponi & inculcari, quæ semper in ecclesia ad salutem ejus futura & observanda erant. Neque etiam ad solos Apostolorum in docendi officio successores, absqve omni ad reliqua ecclesiæ membra respectu, adstringi posse; eadem veritatis luce ex circumstantiis textus radiat, quæ expressam ecclesiæ, qualiscunqve tandem, mentionem faciunt. Quod verò tamen juxta Fanaticos nec singula ecclesiæ individua, indistinctè & sine debito totius coetus concursu, &

publici

- (a) *Matth. 22. 30. coll. Marc. 12. 25. adde Glassium in Phil. s. lib. 3. tract. 1. pag. 94.* (b) *vid. editio N. T. juxta exemplar Oxon. recusa, Lipsiæ, 1697. in 8vo.*  
 (c) *vid. disput. M. Job. Phil. Treffentlichs de voce Amen, habita Lipsiæ, 1700.* (d) *vid. Mulleri Trias diss. suprâ cit. p. 15.*  
 (e) *in Hor. Hebr. ad h. l. Tom. 2. opp. p. 344.*

publici ministerii interventu, notatam per hoc oraculum potestatem, ceu quendam universalis Christianorum officii partem, ritè exercere possint & debeant (a); id sanè, (ut duo loca parallela, idem apertè demonstrantia, taceam) ex ipso contextu satis clarum est: Quippè in quo distinctè asseritur, quidnam circà solemnem excommunicationis actum homini privato, quid item ecclesiæ & publico ipsius ministerio, faciendum & observandum sit. Videntur quidem nonnulli Patres, nominatim Origenes, Augustinus, Theophylactus, & fortè alii, verborum, ut loquitur Maldonatus (b), consecutione, decepti, in eandem cum Fanaticis inclinare sententiam; adeò ut etiam Grotius, idem propemodùm sentiens, duorum posteriorum verba pro semet asserre sustinuerit (c). Sed salva res est de Patrum istorum, alios & longe plures ex suo choro sibi contradicentes (d) habentium, autoritate. Quò enim modò Theophylacti verba ad sanum sensum commodè reduci queant, jam pridem ostendit D. Lyserus (e): Uti & ejusdem atqve Augustini prolata ex professo contra Grotium vindicavit D. Calovius (f), unà cum Lysero in hanc rem utiliter consulendus. Quod Origenem & reliquos attinet, de iis non vana est Maldonati (g) conjectura, eos in explicatione hujus loci allegoricè magis, quàm propriè, locutos esse: De cætero autem singularem propriè *ligandi & solvendi* potestatem Apostolis non denegasse, sed attribuisse. Patet interim ex dictis, quam caute in expositione hujus oraculi procedendum, & quoniam scopuli ab utroque latere sedulo evitandi sint, ne eòdem cum aliis naufragio abripiamur.

S. IV. Putamus verò, rem omnem non alià magis vià confectum iri, quam si debità curà & sollicitudine in scopum totius sermonis Christi inquiramus, & quod paulò prolixius fieri debebit, excusso præcedentis textus quoad præcipuas circumstantias sensu, ritè tandem colligamus, ad quos in specie & quoniam ordine hæc nostra verba pertinent. Phrases quidem *ligandi & solvendi*, in hocce pariter dicto ceu in priore positas, peculiari & novà operà interpretari non

- (a) *Merkerus in Act. Essend. p. 66. sq.* (b) *Comment. in 4. Evang. p. 375.* (c) *apud Calov. in Bibl. illustr. ad h. l. p. 349.*  
 (d) *vid. Calov. l. c. p. 348.* (e) *loc. supra cit. p. 1007. sq.*  
 (f) *loc. cit. p. 348. adde Nisanii Comment. in Job. p. 1176.* (g) *l. c.*

non sit opus, cum eundem, quem supra illis assignavimus, significatum hic quoque à contextu admitti, licet alia quædam accedat circumstantia, ipsa tractatio docebit.

§. V. Erat igitur, quantum perspicere possumus, generalis loquentis Christi per integrum caput scopus, discipulos suos, vel quoscunque potius Christianos, informandi & commovendi, ut, sicut ipse cum DEO Patre, ex merâ & ineffabili gratia, æternæ omnium hominum saluti efficaciter promovendæ, omni loco & tempore, intentus sit; ita & illi, non modò suam quisque salutem in debitâ animi humilitate quærant & firmam reddant, sed & quàm maximè aliorum, fratrum quorumlibet, vitam & spirituale commodum summo semper ac indefesso amoris studio promoveant. Collimant ita ad scopum generalem tria potissimum momenta specialiora, invicem sibi connexa & subordinata: primo nempe spiritualis Christianorum cura pro se ipsis, dein eadem, privatim & publice habenda, cura pro fratribus, & denique cura DEI & Christi pro omnibus in peccata lapsis hominibus, præcipuè autem sancto ecclesiæ suæ cœtu: E quibus licet duo priora isti ultimo, seu fundamento & principio suo, innixa sint & superstructa; secundum tamen omnium copiosissimè & vel primario à servatore nostro expositum deprehenditur, ita quidem, ut reliqua duo, nunc hac, nunc illa ratione, eidem vel præmittantur, vel inferantur, vel subjiciantur. Agit vero hac ratione optimus servator per tres (a), ni fallor, distinctas & iusto ordine se excipientes pericopas: Quarum prima à vers. 1. capitis usque ad vers. 14. agit de scandalis, ex venenato *Φιλαρτίας* fonte passim per ecclesiam oriundis, sed cuius fideli ad confirmandam propriam, nec non fratrum, magnorum & minimorum, salutem in ipsa statim herba suffocandis (& serio opprimendis; quo ita benignissimæ DEI voluntati de salvandis omnino omnibus per sedulam Christianorum curam satisfiat. Secunda à vers. 15. usque ad vers. 20. debitam lapsi & scandalizantis fratris admonitionem & correctionem sistit; iis quidem instituendam modis & gradibus, qui & conscientiam læsi ac scandalizati sedare, & pœnitentiam enormiter delinquentis, nisi resistat, gignere,

(a) *Hunnius Tom. 3. opp. p. 408. D. Joh. Meisnerus in Exercit. Theol. in Matth. Exercit. 9. in cap. 18.*

gignere, & ecclesiæ tranquillitatem, tum & gloriam DEI, sufficientia ad istud officii genus media largiti & largituri, procurare satis superque queant. Tertia, à vers. 21. usque ad finem capitis, mutuanam fratrum læsi & lædenti reconciliationem ita commendat, ut, si lædens ductus poenitentia culpam deprecetur, læsus promptum se præbeat respiscenti, & data delicti venia suam & proximi pacem stabiliat, exemplum benignissimi Patris in coelis omnino secutus. In harum una, secunda nempe, istud, quod considerationi nostræ subjacet, dictum medium fere locum obtinet, & vers. 18. ita positum est; ut, postquam vers. 15. 16. & 17. esset expositum, quænam in reducendo ad DEI & ecclesiæ gratiam notorio peccatore partes, tum cuius inter fideles privato, tum integro Christianorum cœtui rite collecto, incumbant, jam porro, declaret, quo tandem modo ipse DEus & Christus ad tam arduum opus per visibilem ministerii operam velit concurrere: Cujus concursus veritas ne dubia esse vel suspecta cuidam queat; non modo illud profundissimi significatus Amen præmissum videmus, sed & sequenti vers. 19. & 20. firmissimum, quo illa nitatur, adjectum fundamentum, gratiam nempe DEI Patris in filio omnibus promissam, ipsiusque Christi efficacem semper in sua ecclesia præsentiam; Juxta hunc igitur subindicatum ordinem potiores hujus pericopæ circumstantias paulo distinctius lustremus, quo tandem verus dicti nostri sensus effulgeat.

§. VI. Dicit Christus vers. 15. *Si verò peccaverit in te frater tuus.* Formant hæc verba, periocham concionis de fraterna correptione inchoantia; certum casum, ostenduntque, tum à quibus & in quos, tum quam ob causam, admonitio illa seu correptio suscipienda sit. Personæ, inter quas negotium versabitur, corripiens & corripienda, nominantur fratres, id est, quilibet privati homines, sub vago, ut loqui solemus, individuo absque ulla status vel ordinis differentia notati, Christiani tamen juxta externam fidei professionem, & publicanis atque Ethnicis contradistincti, qui in sinu matris ecclesiæ, saltem extrinsecus, hærent, & unum DEum Patrem agnoscunt & invocant. Eveniat, illos inter se collidi per admissum ab uno erga alterum peccatum; non leve aliquod, ex hominum imbecillitate in quotidiana conversatione facile obvium, & æquo potius pro Christiana

stiana charitate silentio involvendum, quam ullo modo revelandum; Sed enorme quoddam & gravius, & ut ratio antecedentium svadet, cum scandalo conjunctum, quod aeternae animarum saluti obesse, & non ipsi modo peccanti, sed interdum quoque laeso & scandalizato fratri, spirituale exitium minitari queat. Isthac igitur fratrum tam periculosa collisio, quibus mediis, iusta serie adhibendis ad bonum finem converti debeat, servator ostensurus, pergit dicendo, *Abi & argue ipsum inter te eumque solum.* Jubetur hoc effato pars laesa, praesentis malo non indormiscere, suique & errantis proximi salutem supina negligentia vel arrogantia deserere, multo minus delicti ejus, vel conivendo (a), vel imitando, consortem fieri; sed, quod idem DEUS in reducendis, quae aberrant, ovibus, hoc est, convertendis peccatoribus, juxta vers. 12. sqq. faciat, prompto & erecto animo periclitantem fratrem accedere, eumque, ne bilem moveat, aut tadium creet, privato primum congressu, omnibus remotis arbitris, admissi erroris sedulo admonere, & ad convictionem usque gravibus admonum & ponderosis verbis arguere (b). Quodsi contingat, ut voci fratris bene cupientis, ceu voci DEI, frater obtemperet, & agnita culpa ad saniozem redeat mentem; fructum laboris in promptu esse, servator innuit, *Si te*, inqviens, *audiat, fratrem lucratus es*, thesaurum sane inestimabilem, animam ejus tibi & DEO ab interitu vindicans. *Sin*, quae hominum, visis probatisque melioribus, deteriora tamen semper sequentium, est malitia, monenti cedere detrectet, & malo suo quacunqve demum specie tenaciter insidens, non audiat; *Assume*, porro inquit vers. 16. Magister Christus, tu idem frater, animum non abjiciens, in societatem tam ardui negotii, *recum adhuc unum vel duos* de coetu Christianorum homines, & conjunctis istorum viribus, miserum hominem ad frugem reducere ulterius allabora: Quippe secundo forsitan loco & gradu, interposita sic virorum autoritate, successurum esse commonstrans, quod primo non successerat; aut, si & hic oleum & operam perdiderit fidelis frater, de ipsius tamen conscientia, per praesentes arbitros certius informanda, bene actum, deque innocentia ac fide per eosdem testes publice

(a) *Levit. 19. 17.* (b) *vid. quae de Emphasi vocis ἐλέγχεω habet Leighius in Crit. Sacr. N. T. p. 224. edit. noviff.*



blicè pronuntiatum iri, sicuti de alterius injuria & malitia. Quodsi tamen & hic secundus privati hominis, aliorum adjuti ope, labor à refractario peccatore fuerit delusus; jam tertium, ut ne quid deficiat, imponit Christus, & vers. 17. *Si verò, ait, illos quoque adhibitos testes audire neglexerit, dic tandem & palam denuntia, quid gestum inter te & fratrem hætenus fuerit, ecclesia, quæ & ipsa gravem suam operam interponat, & de toto tandem negotio judicet.* Ultimè hic, ut apparet, indicatur actus, qui homini Christiano cui libet, ceu privato, & sine relatione ad communem ecclesiæ coetum spectato, circa degenerem fratrem vel corrigendum ac reducendum, vel, si contumax nolit, deferendum ac devitandum incumbit. Sequenti enim verba, *Erit tibi ut Ethnicus & publicanus*, non tam verum quendam distinctæ actionis concursum, quam ejus, quod per ecclesiam fiet, approbationem & obsequiosam ratihabitionem involvet, deinceps videbimus. Scilicet, quod unius, duorumve aut trium impar humeris erat opus, è pluribus constanti membris ecclesiæ divino admòdum & salutari consilio injungi videbatur necessarium. Noverat procul dubio optimus servator receptum illum, quem supra ex Seldeno notavimus, Judaicæ gentis morem, quò quilibet privatus proximum suum, levi sæpius de causâ, societatis & amicitie consortio excludere, & brutum excommunicationis fulmen in eundem vibrare pro virili solebat. Dubium non est, quin tam vagam licentiam, & omni Christianæ charitati adversam potestatem, in bonum ordinem redigere Christus voluerit (a): Ità ut, qui veri ipsius discipuli & fideles posthac essent futuri, in excludendo aut excommunicando fratre, non proprio fortè vel paucorum starent arbitrio, sed causam tam gravem & momentosam certiori plurium judicio & maturiori decisioni lubenter submitterent, quò ita omnium saluti eò rectius posset consuli. Jubebat ergò ecclesiæ denuntiari negotium.

§. VII. Equidem quid per ecclesiæ vocem, à Servatore hoc loco adhibitam, propriè intelligendum, & quoniam illi plures sint, qui in communis consilii necessitatem accersi debent, non levis momenti consideratio est. Variant hic mirum in modum, suæ plerique hypothesi litantes, interpretes: Dum alii, non attendendo sco-

E

pum

(a) *vid. D. Seb. Schmid. in cit. disp. pag. 35.*

pum loquentis Christi, illud, quod ecclesiastici juris atque officii est, ad Magistratum politicum referunt (a), & vel ecclesiae terminum, quod à Castalione factum Seldenus notat (b), per Republicanam vertunt; alii verò de Synedrio Judæorum explicant (c), adeoque, quod omnium locorum ac temporum esse debebat, nimium angustis includunt limitibus; alii rursus aliter reddunt atque exponunt: De quo interpretum dissensu uberius dispicere, & in singula ipsorum placita accurate inquirere, nobis non vacat. Quod scopus noster requirit, contra Fanaticos paucis observamus, non promiscuam cujuslibet particularis ecclesiae multitudinem, sed certum quendam ex toto corpore ritè collectum, & publico totius ecclesiae nomine agentem coetum, necessariò fore intelligendum, qui ex populi senioribus & doctoribus ordinariis constans, Apostolo (d) sub nomine presbyterii non obscure innuitur. Habemus circa hanc expositionem non modò consentientes, è Patribus Chrysostomum (e) & Theophylactum (f), ut & , præter nostrates, Flacium (g), Gerhardum, (h), aliosque, ex Reformatis Cameronem (i) atque Heideggerum (k); sed & pro ea militantem scripturæ phrasin, & alias prægnantes causas, ex ipsâ rei naturâ profuantes. Quod attinet phrasin scripturæ, neminem facile lateat, voces populi aut ecclesiae, per frequentem admodum in sacro Codice Synechochen, nobiliorem quandam sui partem, quæ totum repræsentet, denotare. Vir divinus Moses plus unâ vice ad populum Israël, qui in Novo Testamento (l) ecclesia dicitur, locutus esse, & cum eò egisse, legitur; nec tamen omnia, vel pleraque saltem, totius populi individua, sed quosdam è populo selectos, publicos ipsius antistites, seniores & præpositos tribuum, debere intelligi, alibi vel expressa restrictione

(a) *vid. Polus in Synops. Critic. Vol. 4. p. 433.*

(b) *loc. supra cit. p. 191. Editio tamen Versionis N. T. per Castalionem adornata, quæ Francof. 1695. in 8vo prodiit, expresse habet, Dic ecclesie.* (c) *Polus l.c. adde Bibl. Crit. Tom. 4. p. 557.*

(d) *1. Tim. 4. 14.* (e) *Homil. 62. in Matth. tom. 2. opp. edit. Basl. de an. 1558. p. 511.* (f) *ad h. l. p. 57. edit. Basl. de an. 1554.*

(g) *in Gloss. N. T. p. 80.* (h) *in Annot. posth. in Matth. p. 796.*

(i) *in Bibl. Crit. l. c.* (k) *in labor. Exeg. ad b. l.*

(l) *Aflor. 7. vers. 38.*

reſtrictione (a) oſtenditur, vel ex aliis rei circumſtantiis, ſupendâ  
 v. gr. populi multitudine, ſpontè colligitur. Ipſum Græcum *ἐκκλησία*  
 vocabulum in eodẽ Mofe apud ſepuaginta Interpretes tali ſignifi-  
 catione occurrit poſitum, cum ſpadones, nothi, etc. eccleſiam DEI in-  
 troire divina lege prohibentur (b). Conſtat quippe, ejuſmodi ho-  
 mines non omni totiuſ eccleſiæ conſortio & publicis ſacris per iſtam  
 optimi legiſlatoris ſanctionem fuiſſe interdichos (c), cum aliter ſva-  
 deat benigniſſima DEI noſtri *ἐπιεικὴς* voluntas; ſed illo  
 ſaltem excluſos honore, ut in eccleſiam repræſentativam adoptari, &  
 publicam quãdam pro & in eccleſia functionem obire vel exequi ordi-  
 nariè quidem poſſent. Quandò jam Chriſtus terminum *eccleſia*,  
 varios de cætero ſignificatus in ſacris literis pro textus argumento ad-  
 mittentem (d), præſenti loco adhibet; non alio cum ſenſu, quam  
 de eccleſia repræſentativâ explicari poſſe ac debere, graves, quæ in  
 promptu ſunt, rationes admonent. Eſto enim, ut ſummopere con-  
 tendunt Fanatici, omnem totiuſ populi cœtum, nullo plane indivi-  
 duali membro præterito, per vocem eccleſiæ indigitari; quâ, quæſo,  
 via aut methodo præceptum Chriſti effectum dabitur? Qui poterit u-  
 nus homo privatus, frater læſus & ſcandalizatus, integram quan-  
 dam particularem eccleſiam, ex multis hominum millibus ſapius  
 conſtantem, debite compellare? Cui primo exponet negotium, quod  
 ſibi cum fratre peccamiſo intercedit? Quis momentum rei expen-  
 dat, inque ejuſ tùm veritatem tùm gravitatem, quantum ſat erit, in-  
 quirit? Si pauci ex omnibus ſeligendi, jam non tota juxta adverſarios  
 erit eccleſia, & dicis ſaltem gratia ad eam delatum foret negotium:  
 Et quoniam majori jure illis paucis accenſendi, quam, qui reliquos  
 prudentia, & ſapientia, & autoritate ſuperant, populi ſenio-  
 res, antiſtites, atque præſules? Si indiſtinctè omnes, triftis ubique  
 metuenda eſt confuſio, & pacifica prudentiorum conſilia ob  
 majorem, qui plerumque in eccleſia obtinet, rudiorum atque  
 imperitorum numerum abſque dubio fruſtranea erunt. Quis

E 2

lapſum

- (a) Exod. 4. 16. coll. c. 3. 16. & c. 4. 29. ſq. (b) Dent. 23. 1. ſq.  
 (c) B. noſter Quiſtorpius in Annot. Bibl. p. 212. ſq.  
 (d) vid. Leighius l. c. p. 215. ſq. ad vocem *ἐκκλησία*.

lapsum fratrem corripiat, & justam in eo admonendo & corrigendo impendat curam? Quilibet privatus seorsim? Quo tandem temporis spatio res conficietur, quove modo & ordine, in numerosioribus præcipuè coetibus? Omnes & universi simul, conjunctis verbis & viribus? Quis ille clamor & boatus sit? & quem effectum in animo peccatoris promoveat? Unus, vel pauci, reliquorum jussu & nomine? Annon sic denuo partem tantum ecclesiæ habebis, non sufficienter, juxta adversarios defungentem officio totius? Denique, si emendari frater nolit, & sacra excommunicationis sententia ferenda est, quis eam feret? quis omnium totius ecclesiæ individuorum suffragia, pro hypothesi adversariorum omninò necessaria, colliget, & ut ad unum finem colliment, effectum dabit? Quis trito proverbio, *Quot capita rot sensus*, felici semper successu oblectabitur? Premitur hæc & multis aliis difficultatibus adversariorum sententia: Quarum nulla subest, si, quod ecclesiæ natura postulat, & ordo svadet, & sacra scripturæ consonat, asseramus, Christum hoc loco per ecclesiæ vocem partem ejus repræsentativam, publicum scilicet Presbyterium, voluisse indicatum. Nec ulli id fraudi esse reliquis ecclesiæ membris, temere quis censeat; cum, qui omnium personam pauciores sustinent, omnium quoque nomine & autoritate jura & negotia totius corporis administranda habeant, eorum quidem normâ & regulâ, quâ omnes & singuli rectè informati & debito modo constituti, sibi forte agere daretur, necessariò acturi forent: Ut adeò, quæ dictâ ratione pauci quidam expediunt, ab omnibus expedita esse, meritò possit intelligi.

§. VIII. Maneat ergò firmum, ordinarium ecclesiæ presbyterium esse, quod, volente Christo, gravi & prudenti opera causam fratrum dijudicet. Cui si frater peccans & improbus religiosum præstare obsequium, deque illatâ proximo injuriâ serio dolere, pertinaciter recuset; in eum tandem per solennem ecclesiæ sententiam statum redigendus erit, ut alter privatus eundem pro juste excommunicato, seu, ut bene loquitur D. Hunnius (a), pro membro putrido, ab ecclesiæ corpore per notoriam impietatem revulso & rejecto, in posterum habere queat & debeat, utpote qui pristino fratris nomine & amore omninò indignus sit. Innuit hoc servator, dicens, *Quodsi verò & ecclesiam*

(a) loc. supra cit. pag. 416.

*ecclesiam audire neglexerit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Quid sit, habere desperatum peccatorem pro Publicano & Ethnico, laboriosa, puto, exegesi non indiget; concedunt enim Fanatici, nominatim Merkerus (a), idem esse ac non habere pro fratre: Idque non tantum ex antecedente vers. 15. vi oppositionis rectè colligitur, sed ex illo, qui in devitandis, & ab arctiori fraternitatis vinculo removendis, Publicanis & Ethnicis per Judæorum quondam ecclesiam obtinebat (b), more satis constat. Cum enim gentiles, docente Paulo (c), exfortes Christi & divinorum foederum, imò omni spe ac DEO destituti, extra invisibilis ecclesiæ pomœria misere vagarentur; & publicani, non ob officii quidem ritè administrati statum (d), sed turpem ejusdem abusum & conclamatum injustitiam, (quò sensu vultior Hebraica Matthæi versio pro voce *Publicani*, à Munistero deinceps substitutâ, בעל עברה, *transgressorem*, habet (e),) regno DEI & Christi extorres essent (f): visibilis quoque ecclesia utrumque hominum genus sinu suo exfulare, & blanda fraternaque cum sanctis conversatione, tum & innumeris horum & quovis auro carioribus privilegiis, orbari iustissime voluit. Hunc igitur Synagogæ Zelum absque dubio Christus respiciens, commodatâ inde phrasi suis exposuit, quanto studio contumacem ac refractarium peccatorem, qui se ipsum regno DEI indignum reddat & propriâ culpâ excludat, svari ecclesiæ consortio removeri, remotumque ab omnibus devitari, ex æquo conveniat, Mandantis ac præcipientis, non verò, ut opinatur Grotius, permittentis, hæc esse verba, *sit tibi* &c. jampridem alii ostenderunt (a), Sed nova hodie movetur quæstio, nobis non prætereunda, An phrasis, habere aliquem pro publicano & Ethnico, idem valeat, ac eundem, ut sequenti versu enuntiatur, ligare? Affirmat positionem citatus modo Merkerus (b), eò procul dubio sine, ut, quod Christus & Ecclesia publicis suis ministris vindicant, ipse pro suâ hypothesi cuilibet privato accommodet. Sed fallitur admodum vir bonus, non obser-

E 3

vans

- (a) in *Act. Essend. p. 71. num. 7 & 8.* (b) *vid. B. Qvistorp. in Annot. Bibl. N. T. p. 215. & Lighf. loc. supra cit. p. 344.*  
 (c) *Ephes. 2. 12.* (d) *Luc. 3. 12. sq.* (e) *apud. Seld. l. c. p. 195.*  
 (f) *Matth. 9. 11. sq. cap. 21. 32.* (g) *Calov. in Bibl. illustr. ad h. l.*  
 (h) *loc. cit.*

vans diversam planè istarum phrasum naturam, in ipsa quoque sermone constructione indicatam. Quippe ligandi terminus sine omni contradictione actum quendam involvit, cum efficaci aliqua agentis subjecti opera circa hanc vel illam rem aut personam occupatum. Nihil vero minus in altera phrasi, *sit tibi ut Ethnicus*,prehenditur, quæ nudam potius privationem, & prioris cujusdam actus omissionem, illius puta, qui antea ut frater colebatur, desertionem, manifesto denotat. Quamdiu Christus in præcedentibus eas officii partes, quæ singulis ecclesiæ membris circa fratrem admonendum & emendandum incumbunt, recensabat, ejusmodi semper utebatur verbis, quæ veram & realem referunt actionem, qualia erant, *Abi, argue, assume, dic* seu *denuntia*. Simulac vero ad examen & judicium ecclesiæ Christianum suum deduxit, linguam mutat, & verbum mutæ passivi significatus, *sit tibi*, inquit, adhibet. Quis verò sibi persuadeat, si idem sit juxta Merkerum, *ligare aliquem, & habere illum pro publicano & Ethnico*, Christum tam inconcinne voluisse loqui, ut, adhibitis semper, ante & postea, verbis, verum & realem actum denotantibus, nunc, ubi maximè iisdem opus erat, contrarii plane significatus voce sensa animi exprimeret? Nonne, si ipsum ligandi & excommunicandi actum Christiano suo adscribere placebat, ita dicendum erat Christo, *Declara & autoritative pronuntia, eum tibi & aliis habendum fore pro publicano & Ethnico?* sed, *sit tibi*, alia plane inquit lingua, pro publicano & Ethnico, quem alii nempe, te potiores ac superiores, pro tali habendum fore, jam antea judicarunt & decreverunt. Et quo tandem fundamento assertioni suæ robor conciliet Merkerus? nihil enim ab ipso allatum video, quod identitatem & æquipollentiam istarum phrasum verosimilem saltem reddat. Si fortè immediatam earum connexionem urgeat; aurem vellico homini, quid causæ subesse putet, quod optimus dicendi Magister stylum variet, & cum hæcenus quemlibet Christianum sub unius persona & individuo vago allocutus sit, jam ad plures sermonem dirigat, & quæcumque *Vos* ligaveritis, non frustra sane, dicat? Nos quidem, literæ inhaerentes, eam variatæ locutionis rationem damus, quod objectum sermonis sui tum reale, ut loqui solemus, tum & personale, data opera mutatum velit servator, & cum antea quemcumque fidelem instruxerit, quid in corripiendo proximo

proximo ipse solus, quid porro aliorum adjutus ope, & tandem quid post latam ab ecclesia sententiam observare debeat, jam peculiariter praesentes sibi Apostolos, eorumque aliquando successores, graviter moneat, quid ipsi denum, in tam arduo & animarum salutem concernenti negotio, sua Christi virtute & autoritate agendum habeant.

§. IX. Scilicet, quos supra, in expositione praecedentis dieti, sacros *ligandi & solvendi* actus publicae ministrorum ecclesiae functioni à Servatore adstrictos esse, perspeximus; eos hic denuo, speciali licet casu & cum quadam solennitate exercendos, eidem commendari, pro certo ponimus. Qui contra eunt Fanatici, & de universali omnium Christianorum officio hic agi volunt; sciant, onus probandi jure sibi incumbere, quod Christus, mutato loquendi genere, non simul etiam sermonis sui argumentum, tumj&, ad quas sermo directus erat, personas destinato consilio mutet. Id nisi invictis ex contextu argumentis demonstrant, ex firmo clarae literae praesidio nos deturbari non patimur, sed per plures illos, quos uni privato fideli contradistinctos vers. 18. affari Servator sustinet, commoda satis textus cohaerentia Apostolos intelligimus, eorumque quoad ecclesia datur successores, quibus claves, *ligans & solvens*, jam ante in persona Petri promissa, & postea cum aliis sacri officii partibus fuerunt tradita. Equidem non desunt aliqui è nostris Theologi, qui, suis moti rationibus, illa verba ad totam ecclesiam representativam, seu integrum Presbyterium, adeoque non ad solos ecclesiae ministros, pertinere judicant: Quorum autoritas ut magni nobis semper est; ita & eorum sententia, cum nostra assertionem, facile concilianda, nihil plane habet, quod non Fanaticorum hypothese è diametro adversetur. Praeterea enim, quod illi ipsi Theologi ordinariis Ministris & Pastoribus debitum in ecclesia representativa locum assignare minime dubitent, suas quoque iisdem peculiare & quasi proprias partes lubenter tribuunt; hac quidem ratione, ut, cum alias semper per Ministerium ordinarie loquatur ecclesia, nunc ea etiam latam abs se excommunicationis vel absolutiois sententiam per eosdem ministros, ceu publicos quosdam *κηρυκας* (a), efficaciter promulgari & omnibus nota-

(a) 1. *Timoth.* 2. 7. 2. *Timoth.* 1. 11.

tam reddi omnino curet. Et hoc ipsum fere est, ad quod nostra explicatio pro textus coherencia, tali forte verborum paraphrasi breviter illustranda, collimat: *Amen dico vobis* Apostolis, meis ad homines legatis & ministris, vestrisque successoribus, & vel jurato polliceor, *Quaecumque* demum peccata, ceu graves animæ catenas, super fratrem, notorium peccatorem, per indicatos à me gradus rite correptum & admonitum, & jam nunc ob denegatam admissi scandali seriam retractationem justo ecclesiæ judicio condemnatum, & omni fratrum conversatione & charitate indignum declaratum, pro demandato vobis *in terra* officio *ligaveritis*, adeoque eum, retentis ipsi efficaciter peccatis, sub Satanæ potestatem constrictum, libero posthac per domum DEI, ecclesiam, cum sanctis cursu prohibueritis; fore talem ligationem apud DEum omnino ratam & valituram, cum eadem illa peccata à me *in cælo*, h. e. cœlesti mea & præsentissima virtute, per vestrum ministerium dicto modo *ligata sint*: Sicuti contra, *quaecumque etiam*, pro diverso subjecti statu, actu & scopo plane contrario, rite iterum *in terra solveritis*; illa, eodem meo *in cælis* concursu, & æque valido effectu, *fore soluta*, & à fratre penitente, in meam & ecclesiæ gratiam recipiendo, procul remota. Puto, pro hocce dicti nostri sensu, monstratam hæcenus, tum vocum ligandi & solvendi emphasin, tum seriem totius textus, ceu duo potiora in exegeti momenta, apprime facere: Quibus cum accedat tertium, geminus parallelismus; in ulteriori quidem hujus oraculi expositione nobis non erit desudandum. Restant vero aliquot adversariorum falsitates, priusquam operi addamus colophonem, brevibus consideranda.

S. X. Instar omnium nobis erit citatus aliquoties Merkerus (b), qui, portentosam suam de clave *ligante & solvente* doctrinam operose probaturus, ut plurimum extra oleas vagatur, & vel plane ab argumento rei aliena, vel oppido etiam falsa in medium profert: E quibus ea tantum pro scopo nostro perpendemus, quæ sensum dicti nostri propius attingunt. Complectitur autem suam sententiam quatuor potissimum propositionibus: In quarum prima (b), *errorneum esse* dicens, *quod Christus peculiarem potestatem peccata remittendi*

(a) *cujus hypotheses approbat Arnoldus, in der geistlichen Gestalt eines Evangelischen Lehrers, p. 506. sqq.* (b) *in Act. Essend. p. 66.*



*mittendi instituerit, & contra scriptura conforme, quod peccatum remittatur ex communi amoris debito, in lege divina fundato, hunc quidem Evangelistæ locum aperto Marte non aggreditur, occulte tamen labefactat, cum claves Petro promissas non aliquam ligandi & solvendi potestatem, sed istorum actuum fructum & consequens, denotare pronuntiat (a): Cujus asserti falsitas ex iis, quæ supra (b), de clavibus, peculiaris officii ac potestatis Symbolo, adduximus, abunde, ni fallor, constat. Videbatur procul dubio homini consultum, istud falsum præmittere, quo, majori deinceps specie, locum nostrum parallelum cum suis antecedentibus & consequentibus ad statuminandam hypothesein confundere, &, quæ distincta erant ac diversissima, pro iisdem seu æquipollentibus habere posset. Quippe in confirmandis reliquis tribus, quas format, propositionibus non alia magis argumenta adhibita deprehendas, quam quæ ex cap. 18. Matthæi juxta recens ab ipso inventam expositionem, confuso penitus ac perturbato rerum & doctrinarum ordine, promanant. Sic thesin suam secundam (c), quod fidelis, omnis scilicet ac quilibet, non loco aut nomine DEI peccata remittat, ita ut ipsius remisso sit ipsa DEI remissio, sed ex amoris debito, proprio suimet nomine, eò forte modo, quo quis non loco DEI, sed in propria persona sobrius, castus, amore plenus sit, post pauca quædam alia, primo quidem ex citati cap. 18, vers. 35. probat per aliquot distinctas conclusiones, & ex præcedenti parabola deductas collectiones (d), dein ex eisdem cap. vers. 22. (e); porro, ordine plane retrogrado, vers. 18 & 17. (f). Thesin tertiam (g), quod homo fidelis non omnia promiscue peccata, sed visibilia tantum & externa, quæ ipsum cum scandalo contristarunt, eique iram & indignationem vel excitarunt, vel excitare potuerunt, remittat, itidem probatam cupit partim ex vers. 28. ubi ducentorum denariorum, quos servus alteri debebat, fit mentio, in oppositione ad mille talenta, quibus servus hero obstrictus erat; partim etiam vers. 15, 21, & 22. (h). Quartam denique thesin (i), quod DEUS singulis fidelibus æqualem in hoc Christianismi exercitio benedictionem atque effectum*

F promiserit

- (a) l. c. p. 67. num. 1. (b) p. 6. sqq. S. 4. (c) *ibid.* p. 68.  
 (d) *ibid.* pag. 68. (e) *ibid.* p. 69. num. 3. (f) *ib.* p. 70. num. 4.  
 (g) *ibid.* p. 37. (h) *ib. cit.* p. num. 1, 2, 4, & 5. (i) *ibid.* p. 74.

*promiserit*, ex ejusdem cap. vers. 18. (a), dein vers. 17. & 15. (b), & tandem, quo argumentationis initium fecerat, vers. 35. (c), firmare nititur. Singulas viri conclusiones, ex indicatis versiculis pro ipsius ingenio fabrefactas, distincta consideratione velle excutere, non modo limites opellæ nostræ excederet, sed & labor supervacaneus foret. Unica quippe observatio, quod Merkerus geminam capituli 18. à vers. 15. usque ad vers. 35. pericopam pessime confundat, & quæ Christus à vers. 15. usque ad 20. de fraterna correptione ei que annexis dixerat, cum iis, quæ de mutua fratrum reconciliatione sequentibus versiculis disserebat, pro una eademque habeat materia, totam argumentationis ejus compagem hiulcam reddere, & omnem probandi nervum incidere, sufficienter valebit. Istam quidem *παρερμηνείαν* suam & *πᾶτων Ψευδῶν* quo fundamento innixum putet Merkerus, peculiariter ab ipso indicatum esse non video. Quantum tamen ex reliqua viri tractatione colligere possum, duas potissimum pro ista diversarum sectionum combinatione se habere autumat rationes; quarum altera est, quod Apostolus Petrus vers. 21. de eadem peccatorum remissione quæstionem formet, quam Christus vers. 18 per actum solvendi declaraverat (d), altera vero, ad quam Römelingus etiam provocat (e), quod ex Lucæ cap. 17. 3. clarius pateat, de qua in universum remissione, fratri scilicet à fratre danda, & hic servatori per totum contextum sermo sit (f). Quod attinet priorem viro creditam rationem, ulteriorem ejus probationem merito desideramus. Unde enim constat, quod falso supponitur, Apostolo Petro solvendi terminum eodem significato fuisse acceptum, quo accipit Merkerus, de danda fratri remissione à socio? Et quis credat, Petrum tam stupidum aut somnolentum Magistri sui fuisse auditorem, ut genus loquendi vers. 18. mutatum esse non animadverteret, & factam sibi quondam de *clavibus ligante & solvete* promissionem nunc ipsi & cooperariis iteratam fieri, debite observaret? Quod si, ut vult Merkerus, ad actum solutionis, abs tanquam privato exercendum, proposita vers. 21. quæstione respexit Petrus, cur non terminum à Magi-

(a) *ibid. cit. pag.* (b) *ibid. cit. pag. num. 4.*

(c) *ibid. pag. 75.* (d) *ibid. pag. 70. num. 1.*

(e) *in der Herausführung / pag. 20.* (f) *loc. cit. pag. 70. num. 3.*

à Magistro adhibitum retinuit? Aut, cur non potius eandem quæstionem olim movit, cum idem ille actus, ipsimet peculiariter demandabatur? Quod cum non fecerit, aliam nunc inprimis propositæ quæstionis causam esse, quàm demandatum illum solvendi actum, non obscure intelligitur; quæ satis commoda etiam ex contextu ostendi potest. Dixerat enim in præcedentibus Servator, quisnam processus in tolerando & corripiendo fratre immorigero & cedere nolenti alteri fratri observandus sit: sed quidnam cum fratre, institutæ admonitioni aurem præbente, & ad amovendum scandalum parato, agendum, & quoties cum eo in gratiam redeundum, non addiderat. Petrus igitur, in tali etiam casu informationem Magistri sui desiderans, *Quoties*, interrogando inquit, *fratri in me peccanti remittam? septies?* Cui Christus, *septuagies septies*, respondens, suppeditatam disserendi occasionem persequitur, &, quanta promittudine fratrum delicta atque injurias condonare cuius Christiano conveniat, per subjectam parabolam exponit. Et idem fraternæ reconciliationis argumentum est, quod in citato loco Luc. 17. 3. Servator pertractat, ubi de clavibus *ligante & solvente* nec vola apparet nec vestigium: Ut aded in alterâ etiam, quàm afferebat, ratione nullum causæ suæ præsidium Merkerus inveniat. Plura non addo, sed ex hæcenus dictis Lectori pro lubitu repetenda ac dijudicanda, relinquo.

## SECTIO TERTIA.

exhibens dictum Joh. XX. vers. 23.

*Textus Græcus:*

ἀδελφαι πάντοτε ἄγιον ἂν τινῶν ἀφῆτε τὰς ἀμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς ἂν τινῶν κρατῆτε, κρατήσονται.

*Versio Lutheri:*

Nehmet hin den Heiligen Geist / welchen ihr die Sünde erlas-  
set / denen sind sie erlassen / und welchen ihr sie behaltet /  
denen sind sie behalten.

## §. I.



Eferimur jam ad illa optimi Servatoris nostri verba, quæ magnus ecclesiæ Pater, Augustinus (a), certiora esse, quàm omnia Regum edicta ac diplomata, scite quondam asseruit. Sistent ea procul dubio sacrum illud & nemini unquam impunè violandum summi Regis nostri, Christi, diploma, quo suis in ecclesia ministris publicam clavium functionem denuò confirmare, & jam tertia vice adversus omnem animi diffidentiam communitate, benignus voluit. In textu quidem Græco nihil planè occurrit, quod sanctam hujus oraculi veritatem ullatenus reddat dubiam. Illa Codicum diffidentia, quâ in nonnullis (b) pro consveto ἀπιστίας, Præteritum Ἀπιστίας, legendum cernitur, nonnisi illis scrupulum quendam moveat, qui pro optativo istius verbi significatu, ceu olim Wormatiæ fecit Osiander (c), contendere frustra gestiunt. Nec desunt supra nobis citati interpretes, Syrus, Lutherus, frustra iterum Trilero desertus, ac alii plures, qui fidem hujus effati consensu suo stabiliant. Ipsa tandem loquentis Christi verba, in fontibus pariter ac rivulis, tam clara sunt atque perspicua, & juxta promissam quondam (d) ab ipso œconomiam, tam planè καὶ ἐν ἐν παρουσίαις posita, ut, quid ad progignendam veri certiqve sensus notitiam afferri magis potuerit, non appareat.

§. II. Ausa tamen & hîc fuit adversariorum manus, debilis licet & rerum suarum metuens, admodum coruscantibus divinæ veritatis radiis nebulas quasdam affundere. In quibus dispellendum per ultimam hancce nostri operis sectionem occupati esse debemus; pleniorẽ quidem totius oraculi sensum, alibi à Theologis copiosè satis commonstratum, distinctâ exegesi non daturî, ea tantum proferemus, quæ ad necessarias contra Fanaticos vindicias imprimè

- (a) Lib. 50. Homil. homil. ult. (b) vid. Millius ad b. l.  
 (c) vid. D. Winstrup. in Pand. SS. tom. 2. p. 1135. §. 15.  
 (d) Joh. 16. 25.

primè faciunt. Id quod duas præcipuè adversariorum, pro diversis eorum hypothésibus, formando classes commodè exequemur.

§. III. Priorem itaque classem quod attinet, insignis quidam & non ultimo nobis loco notandus eorum error est, qui positam in textu *ἀμαρτίας* notionem non in proprio suo ac primo significato, per peccata proprie dicta, reddi volunt, sed in minus usitato per eorum poenas: Atque ita, per demandatam hic Apostolis peccatorum remissionem ac retentionem, nonnisi illam, dono miraculorum nitam, potestatem indicari putant, quæ peccatorum poenas, morbos, vel poenitentibus auferre, vel obstinatis etiam peccatoribus retinere, aut immittere, divinitus apta nata sit. Protulit hanc sententiam jam ante ab homine Ariano, Christoph. Sandio (a), & post à celebri hodie Arminiano, Joh. Clerico (b), in crustatam, idem ille, quem supra (c) Lightfoot assurgentem vidimus, scriptor (d), nomen suum & lucem veritus. Causas quidem paradoxæ hujus opinionis Anonymus ille non suppeditat, sed, Dialecticum ferme agens, eam problematis instar ventilandam in medium projecisse, contentus fuit. Clericus tamen, de argumento dicti nostri contra Hammondum disputans, aliquot novi placiti rationes subinducat; quas ex reliquo subdubitantis semper viri discursu, non paucis fallendi modis implicato, excerpere, & in gratiam Fanaticorum breviter pensitare, à scopo nostro non erit alienum.

§. IV. Putat verò vir ille, doctus cæteroquin & valdè ingeniosus, geminum se in primis novæ istius interpretationis fundamentum in ipsis sacris literis reperisse: Quorum alterum nitatur natura & significato phraseos, *remittere peccatum*, in Novo Testamento idem quandoque involventis, ac poena quæpiam peccati divinitus immissa liberare, ceu isto sensu occurrat Matth. 9, 2. unde contra, vi oppositorum, *peccata retinere* h. l. notet ejusmodi poenam immittere aut immisissam servare; alterum parallelis *ligandi & solvendi* terminis substratum sit, qui stylo scripturæ idem quandoque, v. gr. Luc. 13, 12. & 16. innuant, ac morbo ejusmodi hominem quendam afficere ac liberare. Sed er-

F 3

rat,

(a) in *Interpret. Paradox. 4. Evang. p. 255.* (b) in *Animadv. vers. ad not. Hammondi in N. T. tom. 1. pag. 289.*

(c) pag. 9. (d) *vid. loc. cit.*

rat, procul dubio, graviter circa utrumque fundamentum suum Clericus; dum in priori quidem plus uno admisisse falsum deprehenditur; in posteriori autem ipse sibi manifesto evasit contrarius; & à neutro tandem ad controversam thesin satis certa ac valida collectione inferre unquam valuit, aut valebit. Quis enim fidem habeat viro, citatum ex Matth. cap. 9. locum eò, quò ipse vi suæ hypotheseos cupit, sensu debere accipi; ita ut prolata ibi ad paralyticum Christi verba, *Remissa sunt tibi peccata tua*, idem sonent, ac libero te à paralyti, quæ ob peccata tua immissa tibi fuerat! Quis non hujus quoque asserti probationem petat, & roget Clericum, ut, quænam ibi in textu raro, aut urgens necessitas, à proprio vocis ἀμαρτίας significatu recedendum esse, spondeat, ostendere haud gravatim velit? Ut ut enim non negemus, vocabulum ἀμαρτίας, perinde ut Hebræum נֶפֶשׁ (a), nonnunquam Metonymice pro peccatorum pœnis in sacro Codice sumi (b); dubium tamen superest, an in citato textu eundem sensum exigit, vel saltem, cum verbo ἀφιέναι constructum, hoc & quovis loco alio pro usu lingvæ sacræ admittat: Quæ duo necessaria probandæ thesios capita, tum ex ipsius textus circumstantiis, tum ex aliis clarioribus ac indubitatis scripturæ Novi-Fœderis locis, nullibi sane reperiundis, solide demonstranda forent. Audet quidem Clericus ad subsequentiâ textus verba, suam, ut credit, expositionem manifesto ostendentia, provocare; tum & Hammondi id ipsum agnoscentis autoritatem in dubiæ litis patrocinium adhibere: Sed utrobique admodum sibi falsus & fallens alios. Hammondus enim, etsi paulo obscurius de hac materia loquatur, (c) diversam tamen, fovet sententiam, ut quemvis propria docebit inspectio. Et rectius, in fallor, egisset Clericus, ipsum modo Faustum Socinum, primum forsân opinionis hujus patrem (d), grato animo allegasset: Quippe non hujus tantum omnimodum, sed &, si gratum ei accideret, aliqualem Leighii (e) consensum

(a) *Levit. 20. 20.* (b) *1. Petr. 2. 24. vid. beatus noster Qvistorp. in Annot. Bibl. ad h. l. pag. 407.* (c) *in paraphr. vers. 6. cap. 9. Matth. p. 39.* (d) *Comment. in 1. Epist. Joh. cap. 5. rom. 1. opp. pag. 246. sq.* (e) *in Crit. s. N. T. ad vocem ἀμαρτίας, num. 6. pag. 40.*

sum promta facile manu largiremur. Neque tamen idcirco per-  
 vsalium sibi habebit Clericus, spissam illam, & longe lateque exten-  
 sam, tot aliorum interpretum nubem levi quadam duorum, & vel  
 trium, adventantium hominum aura, sine mora ac opere, facile  
 statim dispelli posse. Fulmina certe sint necesse est, & valida ratio-  
 num pondera, quæ tantam tot viroꝝ auctoritatem graviter premant,  
 aut prorsus disjiciant: Quæ si in antecessorum vel asseclarum scriptis in-  
 venit Clericus, vel ipse in textu reperit; promat ea, quæso, & ad ju-  
 stam modestamque considerationem nobis suppeditet. Dixit enim  
 sequentia textus verba manifesto pro se facere: Cui effato ut fidem  
 faciat, monstret tandem, quænam illa præcise verba sint, & quis ver-  
 ficulus capitis! qualis ibi circumstantia, vel Syllaba demum ac lita-  
 ra pro ipso pugnet ac militet? Quod cum ullo saltem apice ostendisse  
 hæcenus ei non placuit, sed nuda assertionem lectorem suum voluit  
 esse contentum, nobis quoque licebit esse securis, & obiter tan-  
 tum indicasse sufficiet, quæ ob causas nova isthæc Clerici & sociorum  
 explicatio in verbis Christi ad paralyticum prolatis locum habere ne-  
 queat. Primo quidem, quod talis Græcæ phraseos, ἀφιέναι ἀμαρτίας,  
 significatus in scriptis Novi Testamenti, nescio an & alibi, sit inu-  
 sitatus. Dein, quod verba Christi tunc audientes Pharisei non ali-  
 um sibi de eis formarunt conceptum, quam de vera remissione pecca-  
 torum proprie talium (a); cui conceptui non contradicebat Christus,  
 nisi in quantum perversa adplicatione institutus erat. Porro, quod  
 vers. 5. & 6. miraculosa paralyseos sanatio aperte distingvatur à pec-  
 catorum remissione, non secus ut actus medici spiritualis ab actione  
 Medici corporalis. Et tandem, quod, cum Christus, *Remissa tibi  
 sunt peccata*, ad paralyticum dicere complevisset, non statim, ut ali-  
 as semper ad efficacissima ipsius pronuntiata fieri solebat, subsecuta  
 sit visibilis morbi ablatio, sed post factam demum Phariseoꝝ re-  
 dargutionem, cum mutata mente & loquela, *Surge*, inqviens, *tolle  
 lectum tuum, & abi in domum tuam*, decumbentem hominem po-  
 tenter esset affatus. Dispiciat autem porro Clericus, an pro funda-  
 mento thesæos suæ ex illis *ligandi & solvendi* terminis, qui Luc. 13.  
 12. & 16. ejusmodi morborum corporalium immisionem & ablatio-  
 nem

(a) vers. 3. coll. Luc. 5. 21. & Marc. 2. 7.

nem absque dubio indicant, satis sibi, ne dicam veritati, constans argumentatus sit? Annon enim ipsemet in fronte sui discursus contra Hammondum, Futuros forte, dixerat, qui, an idem plane Matth. 16. & 18. & hocce nostro Joh. 20. loco promittatur, dubitent? hancque istorum hominum dubitationem, cujus ipse sane erat particeps, justam reddere atque legitimam laboraverat, primo quidem ex sermonis occasione, quæ hic & illic plane differat, dein ex novo illo ac insolenti phrascos, *peccata remittere*, significatu, quem antea perulstravimus? Quodsi jam, ut merito opinari debet Clericus, recte se habent isthæc omnia ac veritati prorsus congruunt; quæ, quæso, specie aut quonam vir consilio, ad *ligandi & solvendi* notiones, in eitate Matthæi locis occurrentes, provocat, eaque, ex Luc. 13. explicatas, ad nostrum Johannis locum pro sua hypothesei accommodat? Nonne ita, animi fluctuans & incertus, iisdem viris, qui realem trium dictorum nostrorum parallelismum in dubium forte vocaturi essent, aperte contradicit, in quorum tamen gratiam coeptum argumentationis cursum hactenus continuabat? Ex quo sane nihil aliud rite colligas, quam, aut falsam esse illam terminorum *δεῖν καὶ λύειν* enodationem, adeoque ad nostrum hunc Johannis locum, nova ratione explicandum, nihil facere; aut, ex mente Clerici, veram esse & in consveta scripturæ phrasi fundatam; quo casu non possit non sequi, virum ea, quæ ab initio contra Hammondum asseruerat, inscia vel invita manu hic rescindere, & satis cito sui oblitum esse. Taceo jam, quod ad probandum, quem ipse intendebat, vocum *δεῖν & λύειν* significatum, minus congrue locum Luc. 13. ei adductus fuerit: Cum non nudæ ibi hæc duæ notiones, ceu apud Matthæum in nostris oracululis, existant positæ; sed vers. quidem 12. verbo *ἀπολύειν* addatur vox *ἀσθένεια*, ut simili phrasi in profanis quoque scriptoribus *νόσον λύειν* passim dicitur (a); & vers. 16. idem terminus ex contextu repetendus esse merito intelligatur omnibus. Et vero tandem, si vel maxime vera esse largiter concedamus, quæ de tali phrascos *remittendi peccata*, ut & *ligandi & solvendi* vocum significatu, pro hypothesei sua, Clericus attulit; nemo tamen, arbitror, regulis bonæ consequentiæ probe imbutus, facile statim affirmabit, ab hisce viri præmissis ad desideratam.

(a) *vid. Plutarch. lib. 4. Sympos. quæst. 1. ferè in medio.*



tam ei dicti nostri expositionem satis validam neci consequentiam. Quomodo enim, quæso, in Logicorum scholis valeat argumentatio, si Græca ἀφέναι ἀμαρτίας phrasîs, parallelæ δὲν καὶ λύειν notions, in duobus, vel pluribus etiam, sacrae scripturæ locis miraculosam morborum sanationem ac immisionem absque dubio innuunt; sequitur, quod & in hoc Johannis loco eundem sensum habere debeat? Ipse quidem Clericus, sic profluenti ratiocinio parum inesse videns roboris, dubie tantum ac conditionate loquitur, & cum nihil quicquam pro ostendenda argumenti hujus connexionem inveniatur, nihil quoque simpliciter definire audeat. Constat quippe, non solummodo illos *ligandi solvendique* terminos ad delictorum vincula, homini auferenda vel constringenda, deducto nobis supra (a) scripturæ stylo, commoda satis ratione posse referri; sed & ipsam hic præcipue controversam, *remittere peccata*, phrasin pro vera peccatorum proprietatum remissione in sacro Codice sæpius usurpatam (b) occurrere: At qui largiri nobis omnino necesse habet Clericus, istum phraseos hujus significatum proprium esse suo modo ac simplicem, magisque in sacris pariter & profanis scriptoribus usitatum, ac nulli unquam dubio obnoxium. Quodsi igitur in adversarii gratiam alterum Metonymicum præ isto tam perspicuo debemus eligere, & ad præsens nostrum oraculum, contra communem ecclesiæ atque interpretum fidem, applicare; graves procul dubio in medium proferendæ erunt rationes, & ex ipsis sacri textus visceribus non obiter comprobandæ. Velit itaque Clericus unicum saltem, si non plures, in præcedenti aut subsequenti loquentis Christi sermone ostendere circumstantiam, quæ vocem ἀμαρτίας pro peccatorum pœnis, morbis in specie (cur enim non aliis quoque corporis aut animæ?), accipiendum fore, spondeat, adeoque non de ordinario, quod vers. 21. Servator instituebat Ministrorum officio, sed speciali quadam miracula edendi potestate, mandatum atque promissum dari. Monstret etiam, quod opus esse ipse videbit, debitam quandam viam, quæ altera textus phrasîs, *peccata retinere*, pro actuali morborum, qui nondum aderant, immisione queat intelligi; cum merito portentosum & contra rei naturam esse,

G

alicui

(a) pag. 17. sqq.  
cap. 2. v. 12.(b) *Matth. 12. 31. Jac. 5. 15. 1. Joh. 1. 9.*

alicui videatur, illud, quod in subjecto nondum adest, & ceu futurum adhuc intenditur, eidem retinere velle. Id si non rite facient, (facient vero nunquam) Clericus atque focii, nos in sinu matris ecclesiae tuti in posterum acquiescimus & ipsius ore (a), idem hic esse datum, quod apud Matthæum promissum erat (b), confitemur: Sacram nempe clavium potestatem, in præcedenti gemina sectione nobis expostitam; quæ ut ut juxta voluntatem optimi servatoris, alibi declaratam (c), pro primitivæ ecclesiae statu ac necessitate, non sine omni miraculo exerceri interdum evenit (d), dono tamen miraculorum adstricta minime fuit, nec illam, ut forte putat Dippelius (e), in Ministris ecclesiae requirit aptitudinem, quo ipsi, Paulum imitati (f), ligatum peccatorum flagellis Satanæ coercendum tradere valeant. Munit hanc nostram simpliciore sententiam evidens textus litera, ut alias nunquam temere deferenda, ita & hoc potissimum loco per ea, quæ in eodem Christi habito cum discipulis colloquio præceserunt (g) egregie illustrata & confirmata. Nimirum apparuerat gloriosus mortis & infernalis regni victor (h), Christus, ipso resurrectionis suæ triumphali die, congregatis præter Thomam Apostolis; eisque, post pauca alia, omnis suæ passionis, mortis, ac resurrectionis finem atque fructum, prænitentiam & peccatorum remissionem inter omnes mundi gentes prædicandam, exponebat (i). Cumque, ejus rei testes & ministros ipsos fore Apostolos, primo quidem in genere perhibuisset, & mox (k) eisdem jam olim demandatum officium, quo forsitan excidisse per turpem fugam & abnegationem videri poterant (l), nunc denuo solenni renuntiatione & ritu novo confirmasset (m); docebat eos porro, claves muneri suo adjunctas graviter adhibere, & quam ipse humano generi morte sua esset promeritus, remissionem peccatorum non tantum annunciare,

- (a) in *Articc. Smalc. append. p. 344.* (b) *vid. Theophyl. enarrat. in Matth. cap. 16. p. 51.* (c) *Marc. 16. 17. sqq.*  
 (d) *vid. G. J. Vossius in Harm. Evang. lib. 3. cap. 4. pag. 400.*  
 (e) *in dem verurtheilten Reich. Vater / pag. 46.* (f) *1. Cor. 5. 5.*  
 (g) *vid. Gerb. in Harm. Tom. 3. p. 2165. sqq. Lightf. in Hor. Hebr. ad h. l. tom. 2. Opp. pag. 678. sq.* (h) *Col. 2. 15.*  
 (i) *Luc. 24. 45. sqq.* (k) *Joh. 20. 21.* (l) *Osiand. in Bibl. part. 3. p. 353.* (m) *Hunnus ad h. l. tom. 3. opp. p. 1008.*

annuntiare, sed & reipsa poenitentibus impertiri, & impoententibus denegare. *Quorumcumque* inqviens, Judæorum & Ethnorum, magna & parva in DEum hominesque admitta peccata, morte mea expiata, *remiseritis* & à poenitente peccatore, non secus atqve vincula à captivo, jussu meo ac nomine removeritis; certissimi estote, ea non deinceps demum à me remissum iri, sed eodem illo actu *remissa* & remota esse (a): Et *quæcumque* contra scelera & delicta, ob præsentissimam impoententiam, violento quasi ac forti quodam actu (b), sicuti in captivis constringuntur vincula, *retinueritis*; ea pari modo ac efficacia *retenta* fore ac reservata. Paucis, quæcumque peccatorum remissionem passione ac morte sua hominibus apud Patrem Christum acquisivit, & ordinario verbi ministerio inter omnes omnium temporum & locorum nationes annuntiare, teste Luca, voluit; eam, & non aliam, peculiariter applicandam & conferendam, in eodem sermonis nexu Apostolis demandasse, recte intelligitur.

§. V. Pergimus vero ad classem adversariorum alteram: Illorum nempe, qui, cum proprietatem literæ effugere se non posse probe animadverterent, tamen hocce loco clavium potestatem enervare, ut, quod solis ac omnibus ecclesiæ Ministris ceu pars quædam officii fuit datum, tanquam commune amoris debitum omnibus sanctis & Christianis vindicare, operose studuerunt. Occurrunt nobis in isto ordine præ reliquis Merkerus & Römelingius; quorum ille ex ipso verborum habitu, non peculiarem quædam potestatem involvente, hic à collatione Spiritus Sancti, non solis ecclesiæ Ministris facta argumentum ducit, pari uterque, id est, nullo, robore vel successu, ut paucis jam videbimus.

§. VI. Et primo quidem dispiciamus de Römelingio, qui, ex præliminaribus textus nostri verbis argumentatus, ita inquit (c): *Hie erlangen alle diejenigen Macht / die Sünde zu erlassen und zu behalten / die von Christo angeblasen werden und den Heil. Geist empfangen: Welcher ja nicht allein bey dem geistlichen Stande / sondern*

G 2

- (a) *vid. Maldonat. ad b. l. Comment. in 4. Evang. pag. 498.*  
 (b) *Gerh. l. c. pag. 2182, adde, quæ habet Leighius in Crit. f. de emphasi vocis negativæ, pag. 392. sq.*  
 (c) *in der völligen Herausführung / pag. 51.*

sondern bey allen wahren Christen anzutreffen. Non una falsitate laborat ista viri fermocinatio, non à nuda tantum inhabitantis Spiritus S. gratia potestatem clavium temere suspendens, sed & diversa Spiritus dona manifeste confundens. Equidem nemo nostrum eat inficias, Apostolos æque omnes, simulac à Christo insufflati Spiritum S. accipere juberentur, illis, quæ ad prompte exercendam clavium potestatem necessaria erant, divini spiritus donis abunde fuisse instructos; quicquid etiam contra forte sentiant notatus in hanc rem à D. Calvio (a) Grotius, Coccejus (b) Hammondus (c), & alii jam tum in primitiva ecclesia viri, Chrysostomo commemorati (d). Illud quoque pro indubitato habendum erit, omnes & singulos ecclesiæ Ministros, uti ad reliquas sacri muneris partes, ita & ad debitam clavium administrationem sufficientibus Spiritus DEI donis, suo quemlibet loco & ordine, idoneos reddi & exornari. Sed, quis non videt, in eo tamen falsum esse sibi & aliis Römelingium, quod omnes eos, qui dona sancti Spiritus, qualiacunque demùm, acceperunt, hoc ipso etiam sacram clavium potestatem nactos esse, ἀσυνλογίως planè colligat. Esto enim, ut putat Fanaticus, eadem Spiritus dona, quæ per factam Christi insufflationem Apostolis conferebantur, reliquis quoque fidelibus quotidiè dari atque distribui: Patet tamen ex præcedentibus textus verbis, quod ad ordinariam clavium functionem ritè gerendam & obeundam aliud quicquam accedere debeat; peculiaris nempe ad sacrum officium missio vel vocatio, quæ ut immediate fiebat Apostolis, dicente hic ad ipsos servatore, *sicuti misit me Pater, & ego mitto vos*, sic mediatè Ministris aliis, æquè ut Apostoli à Spiritu S. gregi suo præfectis (e), per necessariam ac solennem ecclesiæ operam divinitus semper conferenda est. Quamam verò specie palmarium illud assertum suum probatum dabit adversarius, eundem Spiritum, seu, ut rectius dicam, eadem Spiritus dona non Ministris tantum, sed & quibusvis viris Christianis aliis competere & adesse? Annè ergò jure ipsi exploditur illa theologorum ἀνελευθερία, quæ

(a) in *Bibl. illustr. ad h. l. p. 822.* (b) *Comment. in Job. ad h. l. pag. 673. edit. Lugd. de anno 1670. in 4to.*  
 (c) in *Notis ad N. T. Tom. 1. p. 288.* (d) *Homil. 85. in Job. rom. 3. opp. p. 410. edit. Basil. de anno 1558.* (e) *Act. 20. 28.*

quæ præeunte sacro Codice, dona sanctificantia à ministrantibus recte distinguit, & , ut illa omnibus Christi fidelibus, sic hæc Ministris omnibus, piis & impiis, propria esse solide docet? Monstret igitur novus homo, quænam spiritus dona (nulla enim fuisse, absurdum dictu foret) impios quondam ac Irregenos Phariseos in eum dignitatis & autoritatis gradum collocarint, ut ipsemet Christus publicum eorum in cathedra Moysis sedentium munus non improbaret, sed suis potius ac populo commendaret (a)? & quænam spiritus illorum mentem illuminatam & congrua veritati loquentem linguam dederit, qui, teste Paulo (b), livoris & rixæ pleni Christum annuntiabant, ita quidem ut ipse Apostolus gaudium inde percipere, tum & fiduciam fumere posset de salutari quodam effectu, ex ista virorum opera per Spiritum Christi secuturo? Monstret etiam, quo illi fulgeant Spiritu, & quænam ejus virtute, de quibus aurea illa Lutheri nostri, tanto jure hic Römelingio opponendi, quanta injuria ab ipso in erroris patrocinium sæpius vocati, valebunt verba ita sonantia (c), *das Wort hat sie / und sie haben das Wort / den Luther lassen sie fahren / er sey ein Dub / oder Heilig: Gott kan so wohl durch Balaam als durch Esaiam / durch Caipham als durch St. Peter / ja durch einen Esel / reden.* Quodsi autem omnino recte se habet illa Theologorum in dona ministrantia & sanctificantia divisio; videat jam noster ille, quodnam donorum genus per insolitam Christi insufflationem Apostolis hic esse datum jure existimet! Ubi quidem iis, qui præjudiciis vacant, extra dubium esse credimus, non aliam Spiritus S. virtutem Apostolis hoc loco supervenisse, quam quæ ipsos ad efficaciter obeundas sacri officii partes, non præcedenti tantum versu in genere eis traditas, sed & jam nunc in specie quod ad clavium potestatem uberius declarandas, aptos ac idoneos reddere posset. Circa quam expositionem, scopo ex reliquis textus circumstantiis convenientem, præter consensum potiorum ecclesiæ nostræ interpretum, Patrum quæ

G 3

qua

(a) *Matth. 23. 2. sq.* (b) *Phil. 1. 15. sqq. vid. B. noster Schomerus in Exeg. ad h. l. p. 68. sq.* (c) *Tom. 2. Altenb. fol. 119. col. 2. adde Sekend. histor. Luther. lib. 1. pag. 225. ubi verba existant Latina.*

que, Ambrosii (a), Hieronymi (b), & Theophylacti (c) habemus suffragia: Quorum iste, Hieronymus, luculenter satis, *Acciperunt*, inquit, *Spiritus S. gratiam, quæ peccata dimitterent, & baptizarent, & filios DEI facerent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur.*

§. VII. Sed adsit tandem utimus nobis Merkerus, qui ex ipso verborum Christi habitu probare nititur, eum non peculiarem quandam potestatem Apostolis concessisse, sed ipsorum remissionem, ex fundamento amoris & misericordiæ profluentem, adjuncta divina remissione benedixisse. Fundamentum viri hoc est, Christum non dicere, *Do vobis potestatem remittendi ac retinendi peccata, vel, Accipite potestatem*, sicuti dixerat, *Accipite Spiritum*, sed data opera sermonem mutare, adeoque donum non in ipsa remissione, sed in ipsorum fructu ac benedictione ponere (d). Sed tanti non est hæc viri observatio, ut errori ejus solidum aliquod fundamentum præbere queat. Quodsi enim, ut putat Merkerus, ad conferendam alteri cuidam potestatem necessario requiritur, ut hæc vel illa formula, *Do tibi potestatem, vel, accipe potestatem*, à collatore pronuntietur; omnino sequeretur, ne ipsam quidem Apostolici muneris dignitatem peculiare quoddam officium, aut potestatem ministerialem, involvere, cum in eodem contextu nostro, quo servator munus illud Apostolis tradebat, vox potestatis penitus non occurrat, sed tota inaugurationis formula in hoc effato, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, egregie absolvatur. Aut ergo rem ita se habere demonstrat adversarius, & demandatas hoc loco Apostolis futuræ legationis partes, perinde ut fraternam illam sibi creditam peccatorum remissionem, ex fundamento communis Christianorum amoris & misericordiæ profluere, non vero realem quandam ἐξουσίαν (e), & διακονίαν (f), esse, contra Paulum ostendat; aut concedat necesse est, ad veram perfectamque proprii cujusdam muneris atque officii collationem non semper

(a) *Comment. in Luc. cap. 24. pag. 169. tom. 5. Opp. edit. Basil. de ann. 1555.* (b) *Epist. ad Hedib. quest. 9. pag. 147. tom. 3. Opp. edit. Basil. de anno 1553.* (c) *Enarrat. in Job. p. 410.* (d) *in Actis Essend. pag. 72.* (e) *2. Corinth. 10. v. 8. cap. 13. v. 10.* (f) *2. Corinth. 3. v. 8. sq.*

semper requiri, ut expressa vocabuli *potestatis* fiat mentio, sed, si partes modo istius officii hic vel alibi explicentur, sufficere. Et quam fronte negare aufit Merkerus, injunctam hic Apostolis peccatorum remissionem ac retentionem esse actus, peculiari cuidam potestati proprios; cum ipse quidem, rei veritate compulsus, paulo ante concesserit (a), Christum ea, quæ de donatione Spiritus S. deque remissione ac retentione peccatorum loquatur, super commemoratam ibi missionem fundare? Annon ita, vel omnes Christianos eodem modo ac sine, quo mittebantur Apostoli, divinitus ablegari, absurde satis affirmare, vel, ad publicum ecclesiæ ministerium solos Apostolos cum successoribus suis hic amandatos esse, fateri necessum habet? adeoque, fundatos illos in solenni ad ministerium missione actus, ad certam quoque hujus ministerii potestatem, non vero ad commune amoris debitum, pertinere? Addo his, quod in textu nostro de qualiumcunque peccatorum remissione ac retentione sermo sit; Merkerus vero claves suas non nisi ad visibilia atque externa, à fratre in fratrem scandalose admissa, peccata extendi velit. Putat quidem adversarius, hanc sibi objectionem formatum iri facile prævidens, ex eo, quod Christus simpliciter & sine restrictione peccatorum meminerit, tam parum sequi, quod Apostoli omnia peccata remittere debeant, quam ex illis Christi verbis, *Mortui resurgunt* (b), secuturum fore, quod omnes mortui tum temporis resurrexerint: Nec opus probatu esse judicat, quod vocis *peccati* peculiaris ac limitatus sensus magis in scriptura sacra usitatus sit, quam ille generalis, pro omnibus indistincte peccatis accipiendus (c). Sed extra oleas agere ista hominis cogitata, iis patet, qui, ut quamcunque vocem aliam, sic & *peccati* notionem in sensu suo latissimo interpreti relinqvendam esse intelligunt, quocunque modo per reliquas textus circumstantias, aut alias forte rationes, licet. Dubio caret, mortuos illos, qui juxta citatum Merkeri locum resurgere servatori nostro perhibentur, non omnes omnium temporum & locorum, sed admodum paucos esse, & eos fere, quos, ut contextus habet, sua Christi virtute excitatos ipsi Johannis discipuli præsentis viderant, vel auditu perceperant. Ecquid vero monstrabit adversarius, si vel maxime, peccati terminum.

(a) *cit. loc. & pag.* (b) *Matth. 11, 5.* (c) *loc. cit. p. 73.*

num pro certa delictorum specie in sacris quandoque sumi, eidem concedamus, quod certos nos reddat, eundem terminum in nostro etiam loco restringendum, deque iis tantum peccatis exponendum fore, quæ à fratre in focium publica quadam ac pervicaci malitia admittuntur? Annon ea potius latitudine terminum capiamus quæ adhibebat in præcedentibus ipse Christus, illorum sane h. e. omnium, peccatorum remissionem inter quascunqve gentes annuntiari præcipiens, pro quibus ipse fuerat mortuus? Ita enim tuti omnino erimus intra contextus limites, nemini facile commovendos aut oppugnandos.

§. IIX. Et ista quidem erant, quæ ad locorum, de clavibus *ligante ac solvente* agentium, vindicias contra Fanaticos attulisse, pro scopo nostro videbatur sufficiens. Non ingratum lectori fore credimus, si coronidis loco observationem quandam historicam breviter subjiciamus, quæ tum auctoritatem & efficaciam clavium suo modo illustret, tum & insignem quandam errorem, in historia Fanaticorum ab Arnolde admissum, indicet ac emendet. Fuit nempe inter superioris seculi Fanaticos celebre nomen Adolphi Heldtii (a), primum quidem apud Stadenses Pastoris Nicolaitani, postea vero, ob varia errorum portenta mordicus defensa, à sacro, quod gerebat, officio remoti, & post multas tandem hinc inde factas migrationes, in patria mea, Altonæ Holfatonum, ultima sua, beatissima tamen, fata experti. Accidit enim, quæ DEI gratia est, ut viro, multis calamitatibus atqve ærumnis subacto, mortique jam vicino, pavida conscientia expergeret, eumque ad humillimam omnium suorum errorum retractationem graviter instigaret. Erat tum temporis primus Altonaensium Pastor, simulque Consistorii Regii Assessor, Avus meus maternus, Arnoldus Scheplerus, cujus vitam, ultra semisculum in sacro ministerio exactam (b), celebris quondam Hamburgensium Professor, D. Rud. Capellus, dignam censuit, quam typis exscriberet (c), & amico cuidam suo, ad munus sacrum recens vocato, exempli instar perpetim observandi palam proponeret. Ejus opera dives misericordia DEUS fieri voluit, ut satis diu ac periculose aberrans

(a) *vid. Colberg. in Platonisch - Hermet. Christenthum, part. 1. pag. 237.* (b) *vid. Dn. D. Gætzius in Theol. semisculari, pag. 22. num. 89.* (c) *Hamburgi, 1681. in 4to.*



aberrans Heldtius ultimò tandem virtute & efficacia clavium, hæc-  
 nus viro temerè oppugnatarum, in sinum matris ecclesiæ collige-  
 retur. Arnoldus quidem, DEO atqve ecclesiæ hanc victoriam in-  
 videns, istam hominis poenitentiam factamqve palinodiam in dubi-  
 um trahere primus, quantum sciam, & solus conatus est (a). Cũ  
 cum geminum D. Calovii (taceo alios) testimonium (b) satisfacere  
 nequirit; en viro ex ipsis beati Avi mei magno studio consignatis  
 annalibus, quos Parens meus optimus, pieqve quoad vivam colen-  
 dus, Georgius Richertz, Consistorii Altonaënsis & Pinnebergenfis  
 Præpositus Regius, istiusqve ecclesiæ Pastor, asservat, rem totam,  
 prouti gesta fuit, fideli calamo depromemus. Evenit anno elapsi  
 seculi sexagesimo secundo, die undecimo Septembris, ut Heldtius  
 gravi morbo decumbens Avum meum accerseri peteret, eiqve protinus  
 adventanti & magnâ excepto lætitia, in quoniam statu anima ejus  
 nunc versaretur, exponeret, seqve magnum ac miserum peccatorem,  
 de gravissimis suis erroribus ac delictis seriò dolentem, in gratiam  
 DEI atqve ecclesiæ recipi anxie desideraret. Post pauca quædam a-  
 lia in hæc ferè prorupit verba: *Ich erkenne und bekenne, daß ich zu  
 hoch gefahren, ich habe das rechte Erkenntniß Gottes nicht gehabt,  
 varie erratum, varie peccatum. Ich habe mich aus der Zahl der  
 Augspurgischen Confessions-Verwandten ausgesetzt, und bin von der  
 Kirche und Gemeine Gottes getreten. Nun hat mich Gott nach  
 seiner grossen Barmhertzigkeit in dieser meiner grossen Schwachheit,  
 Angst, und Noht zu sich gezogen. Als bitte ich Euer Ehrw. der-  
 selbe wolle mich Krafft seines Ampts unterrichten und trösten. ---  
 Ich bezeuge mich als einen grossen Sünder submittendo, Er wolle  
 doch sich seines hohen Ampts gebrauchen, me suscipiendo, exci-  
 piendo. Sæpius erratum, sæpius peccatum. --- Ich habe nimmer  
 gedencken können, daß ich diesen Tag erleben sollen, also zu mei-  
 nen Erkenntniß zu kommen, darüm bitte ich mich zu trösten, &c.*  
 Ad hæc cum Avus meus ex sacrâ legis & Evangelii concione,  
 ἐξομωσάν τῆς ἀληθείας λόγων, varia regessisset, quæ tũm ad con-  
 scientiam

- (a) In der Kirchen- und Reher-Historie / part. 3. p. 124. S. 8.  
 (b) System. theol. tom. 12. p. 179. nec non in Jfsag. p. 239. S. 8.

scientiam magis magisque excitandam & commovendam, tum & vicissim suavi solatio erigendam, apprime facerent; respondit. Heldtius inter alia, *Ich bekenne es von Hertenzen, es war mir eine grosse Freude, Euer Ebrw. anzuhören, ich sehe ihn als einen Engel Gottes vor mir, denn Satan hat mich gehindert, daß ich nicht eber mit Euer Ebrw. reden mögen. In der Theologie hab ich mich sehr vergriffen, will keinen rathen, daß er so weit gehe; Es sind viel hohe Leute gewesen, die auch zu weit gegangen, doch viel wieder zurück gekehret, aber die meisten stecken blieben. Aber mein Herr Pastor, ich bitte er wolle mich doch seines hohen tragenden Ampts genießen lassen, und mich mit der heiligen Absolution und Hochheil. Nachtmahl des wahren Leibes und Blutes Jesu Christi erfreuen, daß ich der Barmhertzigkeit Gottes in Christo Jesu zu meiner Seelen Seeligkeit versichert seyn möge.* Hæc & similia viri verba cum lætabundus audiret Avus meus, & non spernenda veræ ac infucatae poenitentia signa ex vultu decumbentis legeret; perrexit, formatis aliquot necessariis quaestionibus animum ejus ulterius explorare, Utrum nempe in posterum invariata Augustanam Confessionem, à cujus sociis juxta propriam confessionem secessum fecerit, & reliquos ecclesiae nostrae Libros Symbolicos constanter amplecti, pro virili defendere, adeoque coelestem veritatem in corde suo habere ac retinere velit? Num contra illa omnia, in quibus erraverit, removere, repudiare, ac planè rejicere, ei sit animus, simulque DEO & ecclesiae, quos scriptis suis graviter offenderit, sincerè deprecari, adversariis quoque suis ac inimicis condonare atque ignoscere? Respondit homo ad singula, Omnino ex animo, & denuò rogare institit, *Euer Ebrw. wollen mich doch nur als einen unwürdigen Knecht aufnehmen, den Löse-Schlüssel und das Heil. Abendmahl genießen lassen.* Annuente igitur sanctis viri desideriis Avus meo, interea dum sacra vasa ac Symbola domo sua afferri jubet, dicit Heldtius magno animi ardore, *Lasset meine Kinder kommen, daß sie meine Bekehrung sehen und hören, damit sie sich auch bekehren:* Cumque liberi in vicina Hamburgensium civitate commorarentur, nec statim convocari possent; dicendo urfit, *Gottes Gnade will keinen*

keinen Verzug leiden, lasset beruffen etzliche Nachbahren, welche Zeugen seyn, was ich reden werde. Vocati itaque ex vicinis continuò aderant, Conradus Scheplerus, Pharmacopoeus, & Catharina Behrens; quibus & propria uxore presentibus, humillimam suam Confessionem denuo edidit, & praeunte Avo meo per ante dictas quaestiones, errores suos omnes & singulos iteratâ vice retractavit, hujusque suae palinodiae ut testes esse velint, qui aderant, plus una vice eosdem compellavit. Quapropter mox ab Avo meo in nomine SS. Trinitatis per mandatam ei clavium potestatem absolutus, & sacro animae esurientis epulo refectus fuit. Quam primum tum Absolutionem, tum sacram Coenam, magnâ quâdam & singulari devotione accepisset; post consuetam gratiarum actionem ac benedictionem sacerdotalem, vocem sustulit, inqvrens, *Nun sey gelobet, Gott Vater, Gott Sohn, Gott Heiliger Geist, die hochgelobte Dreyfaltigkeit, von Ewigkeit zu Ewigkeit, der mich nach seiner grossen Barmhertzigkeit in meiner grossen Schwachheit, Angst und Noht zu sich gezogen, mich in meinen Sünden nicht lassen sterben, und nun mich in seine Kirche und Gemeine wieder aufgenommen. Wenn nun meine Kinder werden hören diese meine Bekehrung, werden sie sich freuen, sich auch bekehren; Andere, die es hören, werden sich auch freuen, und mit mir den HERRN vor solche Barmhertzigkeit dancken. Wenn wol etliche es mir nicht gönnen wolten, doch sollen sie es mir wohl lassen. Ich dancke GOTT von Herzen, und wil ihm dancken, so lange ich hie bin, daß er mich Evcharistia, des Danckmahls (quam olim per fanaticas opiniones in nescio qualem actum mutaverat (a),) geniessen lassen, wodurch ich versichert, daß ich nun in der Kirche und Gemeine Gottes hiewieder bin auff und angenommen. In meinen gantzen Leben hab ich nicht einen solchen Tag gehabt, als diesen Tag und diese Stunde, denn heute ist diesem Hause Heil wieder-*

H 2

*fahren.*

(a) vid. Catechismus Heldii, sub tit. Lehre und Unterweisung der Kinder Gottes | Sc. anno 1647. in 8vo. pag. 264. sqq. Miror, librum hunc, crassissimis scatentem erroribus, ab Arnoldo fuisse praeferitum.

*fabren.* Inter hæc & alia multa cum aliquot horæ præterlapsæ essent, discessit tandem data prius valedictione Avus meus: Postridie tamen Heldtium suum invisit, & , Invalescente morbo, corpore quidem admodum imbecillum, sed spiritu validum deprehendit. Cum enim hesternæ eum actionis admonuisset, & , an eodem adhuc, quo heri, esset animo, interrogasset; affirmando respondit, & debili lingua abruptaque voce sæpius iteravit, *ohne Heuchelei, ohne Heuchelei!* Tum animadvertens ex voce & aliis signis Avus meus, agone mortis jam sustinere Heldtium, talia cum ipso agere & loqui coepit, quæ moribundo convenirent, & singula quoque pia animi devotione à viro suscepta sunt. Hinc gratiæ divinæ iterata ac ultima vice ab Avo meo commendatus, altero adhuc die superstes fuit, & die demum insequenti, qui dies Dominicus erat & 14. Septembris, beata morte ad vitam cœlestem translatus. Benedictus sit DEus nosster pro infinita sua misericordia, isti quoque viro per sacram reconciliationis ministerium præstita: Quam ut iis pariter, qui hodie ecclesiam turbant, Fanaticis largiri, mentemque ipsorum divina veritatis luce collustrare, benignus velit, est quod sanctis eundem precibus humillime rogamus.

Claudimus hanc nostram tractationem triade sequentium thesum:

I. Ecclesia Romano-Catholica, ut in aliis quamplurimis fidei Christianæ articulis, sic & in hoc de Ecclesiæ clavibus, fundamentaliter errat.

II. Neque etiam Calvino-Reformati Christianam de clavibus doctrinam sartam & integram habent, vel habere possunt, quamdiu fundamentales errores suos de gratia DEI particulari, & reliquis, fovent defenduntque.

III. Ad neutram igitur harum ecclesiarum quicumque demum fidei Lutheranae sponsa licite transeat; vel, ad alterutram quoque totos è nostratibus coetus viis Pseudo-henoticis adduxisse, studeat.

Ad

Ad  
*Præcellentissimum hujus Disputationis*  
**AUCTOREM.**



Um ante paucos menses argumentum no-  
 minari Tibi peteres, in quo elaborando  
 ingenium Tuum exerceret, simulque spe-  
 cimen ederes purioris, quam complecte-  
 reris, doctrine, accidit eopse tempore,  
 ut ab amico advenirent ad me literæ,  
 quibus, quantopere in isto tractu invalescerent nova ista  
 Fanaticorum placita, quæ sub pietatis restauranda invo-  
 lucro disseminarentur, conqverebatur. Cumque inter  
 ea & id referret, quod jam persuasum plerisque, etiam ipsis  
 Ecclesiarum ministris, esset, meram fabulam, immo ido-  
 latriæ speciem esse, cum doceretur, Ecclesiæ pastoribus  
 commissam à Christo esse remittendi retinendique peccata  
 potestatem, quippe quod solius Divinæ majestatis axioma  
 esset; conversus ad Te, habes, inqviebam, materiam, in  
 qua ingenium pariter Tuum & pietatem demonstras.  
 Quid enim sit æquius, quam post tot in variis Academiis  
 insumptos annos, exantlatos labores, reportatas laudum  
 corollas, quam in hac quoque Academia publice testari,  
 universa Tua ubique consilia eò collimasse, ne in quacun-  
 que re à majorum nostrorum doctrina, quam Augustæ o-  
 lim confessi sunt, cuique soli in Imperio Romano pax, quæ  
 religiosa dicitur, ab Imperatore Imperioque concessa est,  
 tanquam fundamento innititur, deslecteres? Id vero  
 tanta eruditionis copia & judicii soliditate confecisti,  
 quanta à Tua etate vix poterat expectari. Herculis  
 quendam laborem ante triennium exantlasti, cum Sam.

H 3

Huberi

Huberi historiam ex documentis innumeris conquistam, in publicum dedisti, encomium ideo promeritus consummati eam in eruditionis parte Theologi, D. Jo. Andr. Schmidii, qui & in familiaribus literis spem, quam in Te ponat Ecclesia, nequaquam vulgarem, enixe mihi commendavit. Is nunc quantum interea pondus scientiae tuae Theologicae adjeceris, ex praesenti specimine, in quo ne litera quidem una mea est, omnes limati exactique iudicii partes implente, non sine summa oblectatione deprehendet. Utinam, qui Academicis studiis natus mihi factusque esse videris, huic Te vitae generi Divini Numinis providentia & Perreverendi consilium Parentis destinarent? Quanta vero quamque rara est isthaec hujus viri edevia, cui quinque contingere, ut corporum ita animorum quoque robore praecomplurimis aliis excellentes Filii, iisdem omnibus studiis, iisque sacris, non vulgariter imbuti; e quorum numero amo coloque meum illum in Districtu Boizenburgico Ecclesiarum Praepositum, GEORGIUM BERNHARDUM; possidet eadem haec provincia nostra & alium Praepositum, Buzoviensem, CONRADUM RUDOLPHUM; Ecclesia Ganderkeseeensis in Comitatu Delmenborstano ARNOLDUM, mearum quoque scholarum ante tredecennium alumnum, & natus inter fratres maximum, quemque propediem hic Tecum, LAURENTI DIETERICE, publice collocaturum conspiciemus, CHRISTIANUM PETRUM. Conservet Vos omnes supremum Numen, roboretque animos conatusque Vestros, ut per Vos Christi Ecclesia salutare ubique incrementum & Paterni nominis decus gloriam consequatur immortalam! Scr. in Museo, die XI. Aprilis MDCCXI.

Disputationis T. Praefes,


JOAN. FECHT. D.

**S**ic age. Perge libris, FRATER, incum-  
 bere Sanctis,  
 Ac, quæ doctrinæ copia parta TIBI,  
 Perge, docere, stylo linguâque. His au-  
 sibus, æquè,  
 Deliciæ PATRIS, ac Gloria nostra,  
 clues !

Ita

L. M. Q. Optimo Germano applaudens, haud  
 in vanum ominatur

CONRAD RUDOLPH RICHERTZ, Altonaensis,  
 Past. & Præp. Bützovienfis,




2  
Sic ego. Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum  
Perge hinc. Perge hinc. in unum

IN VARIIS OMNIBUS  
L. M. O. Optimo Germano appud  
CORR. IN RUDOLPHI RICHTERIS  
P. M. & P. M. Richter









00 A 6321

ULB Halle 3  
002 925 397




Sl.

Hi. 8. 2.

1012







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

16527

D. B. V.  
GETICO - THEOLOGICAS  
BORUM CHRISTI,  
Cap. XIIIX. 18. Joh. XX. 23.

DE  
**LIGANTE**  
ET  
**VENTE,**

acipue Fanaticis oppositas,  
NERANDO THEOLOG. ORDINE,  
**PRÆSIDE**  
VERENDO atque **MAGNIFICO,**

**FECHTIO,**  
ERENISSIMI DUCIS REGNANTIS  
NSIL. CONSISTOR. DISTR. ROSTOCH,  
& FACULT. SUÆ SENIORE,  
partes merentissimo gravissimoque,

*Præceptore suo, piâ animi*  
*one æternum colendo,*  
orum disquisitioni submittit.  
SPONSURUS - AUTOR,

**TERIC. RICHERTZ,**

CONA - HOLSATUS,  
Aprilis, Ao. MDCCXI.  
**ATORIO MAJORI.**

COLAI SCHWIGEROVI, Ampliff. Senat. Typogr.